



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio I. De natura scientiæ & objecti in Communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

TRACTATUS II. LOGICUS.

De Proemialibus & de prima Operatione Intellectus.

Præsens Disceptatio erit bipartita. Primum disceptabimus de Proemialibus Logica. Deinde de prima Operatione Intellectus tanquam Objecto partiali Logica; Et quidem tractatio de Proemialibus extendet se ad omnes alias scientias & ad habitum etiam Theologia. Et quia opuscula mea ita vellem edita, ut ex illis unusquisque discere possit ea, quæ passim ea tempestate tractantur in Scholis, cumque discenda speculativè incipiant à Logica, ita difficultates temperanda erunt, ne sub initium obruant ingenia, huic labori se accingentium. Sit

DISPUTATIO I.

De Natura Scientiæ & Objecti in Communi.

Item quidem in Speculativis præsupponatur Objectum Scientiæ, quia tamen Objectum habet rationem differentiarum: Ipsa autem Scientia, ponitur pro genere in definitione habituum scientificorum, hinc prius de Scientiâ tanquam universaliori, quàm de Objecto tractabitur.

QUÆSTIO I.

De Natura Scientiæ.

Natura rei definitione innotescit. Definitio constat Genere & Differentia, ut ergò innotescat, quid sit Scientia, querendum hic erit de Genere in Definitione ejus ponendo, accedemus postea ad differentiam. Ne tamen sit quæstio de subjecto non supponente. *Sic*

DIFFICULTAS I.

An sit Scientia?

PRÆMITTO I. *Aliquos veteres Academicos non agnovisse ullas novas Scientias. Sed dicebant, esse aliquem intellectum omnium unum, qui quando unitur alieui, facit illum intelligentem, quando recedit ab illo, facit illum ignorantem.*

CONTRA est I. Quia vel habebant unitum hunc sibi intellectum hi Auctores, quando asseriebant, per conjunctionem illius intellectus nos fieri Scientes, & per separationem ab eodem fieri ignorantes, vel non habebant tunc sibi unitum hunc intellectum; si non habebant unitum sibi tunc, hunc intellectum. Ergò non sciebant, se scientes fieri, unionem illius intellectus, si verò habebant unitum, quæro: cur non potius habebant sibi hunc intellectum unitum, illi, qui negabant nos fieri scientes per unionem cum isto intellectu: Quod si huic potius parti erat unitus, sequeretur ab hac parte veritatem stare, nosq; non reddi scientes per unionem cum isto intellectu.

RESPONDERIS. Illi parti uniri hunc intellectum, quæ habet phantasmata melius disposita.

CONTRA. Rediret quæstio; an hæc ipsa responsio supponat in respondentibus potius, & non in oppositum sentientibus, meliora phantasmata, adeoq; & scientiam.

CONTRA est II. Iste intellectus vel est unus, vel multiplex, si multiplex: non erit ratio cur non erunt tot intellectus, quot intelligentes; non etiam potest dici unus intellectus; quia sequeretur duos diffitos, non posse unum idemque intelligere & scire, quomodo enim unus intellectus, in pluribus foret locis, imò sequeretur uno sciente omnes debere esse ignorantes, quia cum uno tantum, unus intellectus, potest conjungi.

† Aa

Ex

Ex quo ulterius sequitur, duos diffitos non posse scire, quod scientes reddantur per unionem istius intellectus, duobus enim diffitis non potest unum idemque uniri.

RESPONDEBIS. Hunc Intellectum esse toto orbe fufum.

CONTRA. Tum quia, hujus asserendi nullum est fundamentum. Tum quia si intellectus est toto orbe fufus. Ergo & ignorantia est toto orbe fusa, præsertim cum longè plures sint ignorantes, reddiq; debet ratio, cur non ductu ignorantia asseruerint, hoc sentientes dum dixerunt: nos fieri scientes per unionem cum isto intellectu. Tum quia si intellectus est toto orbe fufus qui reddit per illos scientes, jam erunt omnes scientes, & si toto orbe est fufus, quomodo separari à nobis poterit, vi cuius separationis, dicis homines reddi ignorantes.

CONTRA III. Quia cognoscere est aliquid intrinsecum & vitale. Ergo principium cognoscendi, quod est intellectus, non potest esse aliquid extrinsecum.

PRÆMITTO II. *Pyrrhum & Heraclitum Philosophos, docuisse: non dari ullas Scientias, ex eo quod omnia in universo fluxa sunt & labilia, hinc iidem nutu solo respondebant, ne antequam rem verbis exprimerent, res illa diffunderet ac mutaretur.*

CONTRA hoc est I. Dantur multa immutabilia, quales sunt essentia rerum, nec enim mutatur, quod homo, sit animal rationale.

CONTRA II. Vel dantur aliqua principia seu propositiones necessariae, vel non dantur, si non dantur, Ergo ista propositio: Totum est majus sua parte, non est necessaria, poteritq; pars, major esse toto. Item hæc propositio: Quodlibet est aut non est, si non est necessaria, poterit aliquid esse & non esse, quod si dantur aliqua principia necessaria, Ergo poterunt sub illis subsumi Minores, v. g. sed Petrus est. Ergo falsum est quod non sit. Quod si sub illis principiis necessariis, possunt subsumi certæ minores. Ergo & dari Scientia, sciretur enim jam, Petrum dum est, falsum esse, quod non sit.

CONTRA III. Quia si nihil certò sciri potest. Ergo nec hoc scitur, quod nihil certò sciri possit. Ergo nec scitur nihil nos scire posse.

PRÆMITTO III. *Platonem negasse dari Scientias ullas de Novo, sed dicebat, ante unionem animæ cum corpore, dari in anima Scientias rerum omnium, sed quando jam uniuntur corpori obfuscarì hanc Scientiam. Unde per illum aliquid scire, non plus erat, quàm habere reminiscentiam eorum, quæ in ante cognoverat.*

CONTRA est I. Quia animæ illæ, si præexistunt ante unionem in corpore, deberent esse ab æterno productæ, ut etiam supponit hæc sententia, non sunt autem ab æterno productæ, quia oppositum docet fides, & ratio, quia animæ sunt essentialiter ordinatæ ad corpus; corpus etiam

seu Materia essentialiter ordinatur ad formam, quamvis sub disjunctione; debebat ergo dari exigitivum aliquod, per quod illi ordines complerentur: hoc autem exigitivum non aliud est, quàm ipsæ dispositiones, quæ quia non erant ab æterno, nec productio animarum connaturaliter poterat esse ab æterno, quia si non erat ab æterno corpus dispositum ut de facto non erat, (solæ enim animæ dicuntur præfuisse ab æterno.) hoc ipso fuissent illæ animæ productæ, non ad exigentiam Causarum secundarum, innaturalisq; fuisset ista animarum productio. Idem medius Terminus negativa via proponi posset. Licet non repugnaret animas præexistere corpori, nullum tamen est fundamentum illas præexistisse.

CONTRA est II. Ista Scientia animabus præexistentibus, vel est naturalis vel acquisita, si naturalis. Ergo sicut natura etiam post unionem animarum non mutatur, alias non præexistentes animæ, sed aliæ hoc est mutatae unirentur, ita & naturalia earum mutari non debent, si autem illa scientia erat acquisita. Ergo in ante illam animam non habuit. Ergo ex ignorante facta est in illo statu sciens: cur ergo etiam non poterit Scientiam acquirere de novo, posita unione ad corpus.

CONTRA III. Si Scientia de novo non darentur, sed sola reminiscencia, posset cæcus judicare, de coloribus, quod falsum. Sequela probatur: quia si ante unionem ad corpus præcognovit v. g. lac esse dulce & album, percipiendo dulcedinem lactis occurrentem hic & nunc, per reminiscentiam, posset judicare de albedine, ut potè jam in ante præcognita.

His præmissis

DICENDUM est I. *Dari Scientias de novo.*

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis i. enim Metaph. cap. ii. *Omnes inquit homines naturaliter scire desiderant*, hic verò appetitus frustra esset, si non darentur de novo Scientia, expleri enim non posset, aut jam remaneret expletus, solūq; homo desideraret esse reminiscens, non verò sciens; similia habet 4. Metaph. tex. 22. & S. Thomas i. parte 9. 84. art. 4. & August. lib. 3. contra Academicos cap. 4.

PROBATUR II. Dantur principia lumine naturæ nota, ex quibus possunt deduci infallibiles Conclusiones ut dictum supra. Ergo poterunt dari & Scientia de novo, ipsaq; experientia ostendit de novo dari Scientiam.

PROBATUR III. Nullum est fundamentum negandi, quod scientia de novo dentur, ut visum est in præmissis. Ex alia parte sicut quia videmus nunc accendi ignem, qui antea non erat incensus, inferimusq; illum de novo incendi, ita inferetur ex allata experientia, de novo dari Scientiam.

DIFFI.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT I. Plato. Illud quod de novo scire volumus, vel scivimus, vel non scivimus: si scivimus. Ergo de novo nihil scitur; si non scivimus. Ergo frustra illud scire volumus, & nunquam agnosceremus, etiamsi fortè occurreret, quia nesciretur illud, quod scire desideratur: sicut qui nunquam vidit Regem, etiamsi illi occurrat Rex, non scit esse illum Regem.

RESPONDETUR. Hoc argumentum probare, quod etiam sensus nostri nihil de novo percipiant, directè autem dici potest ipsum Objectum determinare ad sui notitiam. Deinde dici potest, illud quod de novo scire volumus, si scivimus clarè, nihil nos de novo cognoscere, secus si scivimus confusè & in principiis; & sic qui non vidit Regem, habet tamen in ante ejus descriptionem, & occurrat illi Rex, noscet eundem, quod multo magis procedit circa Scientias, quæ infundantur principiis lumine naturæ notis, ipsa autem principia, se manifestant si occurrant, sicut lux, manifestat se videnti.

OBJICIT II. Idem. Si darentur de novo Scientiæ; vel acquirerentur per sensus, vel ope Magistrum, non per sensus, quia hi ad multa se non extendunt, & in multis errant. Non ope Magistrum, quia Magister infundere species scibilium non potest, quæ tamen ad Scientiam sunt necessaria.

RESPONDETUR. Utroque modo acquiri Scientias, sensu quidem, quia ad quæ se ille objecta non extendit, tamen illa vel ratione effectuum procedentium ab illis objectis, quos attingit sensus, vel in aliquo simili noscit; nec erat in sentiendo, si auferantur impedimenta, quorum ablationem distabit intellectus, præ informatus aliis sensationibus, rectè procedentibus. Addo quamvis cognitio intellectiva dependeat à cognitione sensuum, nihil enim est in intellectu, quod non præfuerit in sensu; non est tamen necessarium, ut cognitio intellectiva sit conformis cognitioni sensuum, quod si potest esse illi difformis, poterit illo errante, non errare intellectus. Ope etiam Magistrum possunt Scientiæ acquiri, quia licet ille per se ipsum non fabricet Species; exhibitione tamen doctrinæ, determinat extrinsecè phantasiam & intellectum agentem, ad fabricandas debitas Species.

OBJICITUR III. Intellectus noster frequenter errat. Ergo non potest esse principium actuum scientificorum.

RESPONDETUR. Frequenter etiam non errare intellectum, & ut non erret, posse informari propositionibus scientificis, sibi innotescentibus.

OBJICITUR IV. Saltem nulla dabitur habitus nova Scientia, quæ sit facilitas nova ad eliciendos actus scientificos consimiles antea factis; quod

PROBATUR à pari. Visus qui est potentia na-

turalis non indiget habitu ad videndum. Ergo non indigebit etiam intellectus habitu ad sciendum.

RESPONDERI potest I. Quia potest intellectus eidem propositioni nunc assentiri, nunc dissentiri, indigebit habitu, visus autem, objectum, semper videt, nec potest non videre. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia potest eadem statua apparere, nunc rotunda si à longè aspiciatur, nunc non rotunda, si de propinquo, nihilominus ad hoc tollendum, non datur ullus habitus visivæ. Ergo nec dabitur ullus habitus intellectivæ. Immerito etiam supponitur, quod intellectus possit eidem propositioni nunc assentiri nunc dissentiri: id enim fallit in principiis lumine naturæ notis, si penetrentur.

RESPONDET II. Quidam. Non dari habitum ullum ad assentiendum Conclusioni demonstrativè deductæ: sed tantum ad scientificam propositionem objecti, nam in hac sola propositione, sentimus difficultatem, posita verò jam ista propositione objecti, necessario intellectus objecto assentitur & sine difficultate. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia ut visus attingat suum objectum, non datur ullus habitus in visiva. Ergo nec dabitur ad scientificam propositionem objecti. Tum quia hæc responsio tollit habitum conclusionum, & ponit solos habitus præmissarum: quia scientifica propositio objecti, sit v. g. per præmissas; Et tamen respondens, ad solam scientificam propositionem objecti, adeoque ad solas præmissas, & non ad conclusiones admittit habitum, cujus oppositum doceri solet. Tum quia si non admittitur habitus conclusionum, nec admitti debet assensus principiorum & præmissarum, quia horum assensus, à longè evidentiori objecto causatur. *Hinc aliter*

RESPONDETUR III. Disparitatem esse quia visus non tantum est potentia necessaria, sed etiam determinata ad eundem operandi modum. Consequenter nulla supererit difficultas, tollenda ab habitu, nam determinatio ipsa facilitatem infert, cumque nihil aliud sit in actu nisi substantia actus, & modus actus, si ad hæc sit determinatio, adeoque facilitas, nulla erit, quæ superetur ab habitu, difficultas; & ita quia determinatus est ignis ad eundem operandi modum, non indiget habitu ut urat, nec indigebit aqua habitu, ut humectet. Intellectus autem, licet sit potentia necessaria, quia tamen non est determinata ad eundem operandi modum, ideo relinquit adhuc difficultatem superabilem ab habitu, ei que locum facit. Quod verò eadem statua nunc rotunda nunc non rotunda appareat, id non arguit in visu diversitatem operandi; sed id referri potest in malam dispositionem vel organi, vel medii, vel in applicationem indebitam. Quando autem intellectus non necessario assentitur objecto

conclusionis ex probabili medio deductæ, vel quia aſſentitur tali objecto cum difficultate, hoc non poteſt referri in diſpoſitionem malam potentia, quia Deus, qui ut ita dicam diſpoſitiſſimus eſt ad veritates penetrandas, iudicat tamen ex medio probabili, non noſci certo objectum. Et ad has difficultates ex diverſitate modi operandi ortas, quas difficultates dari etiam experientia docet, concedendi erant habitus.

OBJICITUR V. Ariſtoteles 2. Metaph. tex. 1. Ubi ille vult intellectum noſtrum ita ſe habere ad ea, quæ ſunt maniſeſtiſſima ſicut veſpertilionum oculi ad lumen diei. Ergo ſicut hi nil poſſunt videre, ita & intellectus nil poteſt ſcire.

RESPONDETUR explicando Ariſtotelem. Comparat illic Ariſtoteles noſtrum intellectum cum triplici diſſerentia objectorum. I. Si objecta ſint maxima intelligibilitatis, ut v. g. Deus, Angeli &c. ad talia objecta hebeſcit intellectus, ſicut oculus nimia luce perſtriſtus. II. Si objecta ſint minima intelligibilitatis, uti ſunt influentia occultæ. Circa hæc etiam objecta fatiſcit intellectus, ſicut & oculus in videndis pulmonibus formicæ. III. Si objecta ſint media intelligibilitatis, quale eſt objectum ſi æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia &c. reſpectu horum non dicit quod ſe habeat intellectus ſicut oculus veſpertilionum, imò ſicut oculus objectum debite approximatum & illuminatum optime aſpicit, ita & intellectus objecta mediæ intelligibilitatis optime agnoſcit.

DIFFICULTAS III.

Quid ſit Scientia & cujus Objecti.

IN quaſtione quid ſit aliquid, ſemper veniunt duo explicanda: 1. quid nominis? 2. quid rei?

Quoad quid nominis. Triplex potiſſimum eſt acceptio Scientia: I. pro Cognitione quacunque intellectu, præſertim certa, ſive illa evidens ſit, ſive inevidens; quo ſenſu dicit Auguſt. lib. 1. de libero arbitrio, *id nos ſcire quod certo cognoſcimus*; & in hoc ſenſu fides & humana & divina, poteſt dici Scientia. Unde etiam Auguſt. lib. 5. de Doctrina Chriſtiana. *Non eſt inquit verendum dicere, quod idoneis reſtibus novimus nos ſcire*. II. Accipitur Nomen Scientia pro cognitione certa & evidenti ſive illa per diſcurſum habeatur, ſive non. III. Pro cognitione certa & evidenti per diſcurſum habita.

Quoad quid rei definit tertio hoc modo ſumptam ſcientiam Ariſtoteles primi poſteriorum tex. 5. *ſcire arbitramur unumquodque ſimpliciter, ſed non ſophiſtico modo, qui eſt ſecundum accidens, cum cauſam exiſtimamus cognoſcere propter quam res eſt, quod illius cauſa eſt, & non contingit hoc aliter ſe habere*.

EXPLICATUR DEFINITIO. Loco generis poni-

tur Ly *Cognitio*, quia hæc eſt genus, & competit illis etiam acceptionibus Scientia, quæ numeratæ ſuperius. Dicitur *Cognitio rei per Cauſam*, ut denotetur progreſſus à cognitione cauſæ ad effectum, per hocque condiftinguetur à ſcientia Dei & Angelorum qui formaliter non diſcunt. Item dicitur eſſe cognitio rei per cauſam ut denotetur, in ſcientia, de qua hic, reperiri cauſam, propter quam connectitur prædicatum cum ſubjecto, connexion quadam oſtendente evidentiam, per hocque diſtinguitur à fide, quæ non oſtendit cauſam connexionis prædicati cum ſubjecto; cum enim revelatur quod Deus ſit Trinus, non aliud relucet nobis, niſi nexus cum hoc extrinſeco, quia eſt revelatum. Dicitur, quod debeat eſſe per cauſam, *ut cujus non contingit rem aliter ſe habere*, ut excludatur error, qui contingeret, ſi aliquis cognoſceret rem per cauſam, quæ revera non eſſet cauſa; & ita erraret aliquis qui pro cauſa pluviæ diceret baculum, ſtante in angulo. Denique dicitur quod non contingat hoc aliter ſe habere, quia objectum ſcientia debet eſſe neceſſarium & immutabile.

Si tamen cui videretur quod non definierit hic Scientiam Ariſtoteles niſi particulariter, eo quod definierit illam procedere per cauſam, cum poſſit etiam procedere per effectum, poſſet ſic clarius dicere, *Scientia eſt Cognitio certa & evidens per diſcurſum habita*. Definiendo autem Scientiam, in quantum ad Deum & Angelos extendi poteſt, imò & ad prima principia eſt *Cognitio certa & evidens*.

QUÆRES I. *An cauſa qua ſi ſumatur cum ſuis requiſitis, eſt adequata ad aliquid operandum eſt-que de ſe determinata ad producendum illum effectum, ſit cauſa ſufficiens ad ſcientiam habendam, quamvis hæc cauſa à Deo impediſſe poſſit ne producat effectum*, v. g. ſint duo equi, qui ſunt cauſa determinata & adequata tractionis alicujus ſtipulae, cum tamen Deus poſſit facere, ne illi duo equi, ſummo etiam conſiſu adhibito, moveant illam ſtipulam, eritne ſufficiens cauſa ad ſcientiam de motu ſtipulae, robur illud equorum, quod cauſare poteſt tractionem ſtipulae. Indubie erit ſufficiens talis cauſa ad ſcientiam.

RATIO. Quia nulla eſſet ſcientia phyſica, quæ procedit per cauſas à Deo impediſſes. Deinde quia quod illas poſſit impediſſe Deus; non impeditur per hoc, naturalis connexio cauſæ cum effectum & tamen hæc connexio eſt fundativa ſcientia. Eſt enim ipſa connexio non mutabilis, utpote fundata in tranſcendentali reſpectu cauſæ ad effectum. Denique quia dantur ſcientia etiam ſub conditione, adeoque dabuntur & per illam cauſam, ſub hypotheſi, niſi Deus impederit, unde erit illa notitia abſoluta, ſi aliunde conſtet, non eſſe facta impeditio.

QUÆRES II. *An Scientia poſſit eſſe de contingentibus? De contingenti ſpecificative ſeu materialiter hoc eſt pro ipſa Entitate contingentis ſum-*

pro,

Disputatio I.

5

pro, non potest dari Scientia. Ratio, quia Scientia, ut dictum, exigit rem non aliter se habere, contingens autem entitative, potest aliter se habere. Si autem sumatur reduplicative, reduplicationem sic accipiendo, ut vi illius contingens transeat in essenziale, de sic sumpto contingenti sub reduplicatione, ita explicata, potest dari Scientia. Ratio, quia contingens, quia contingens habet necessitatem, invariabilitatem, immutabilitatem suae contingentiae. Ergo de ista invariabilitate contingentis, in sua contingentia potest bene dari Scientia. Tum quia omnis reduplicatio ex hoc ipso qua reduplicatio est, fundat titulum immutabilitatis, suaeque reduplicatione, extrahit rem ad alium modum. Ergo si contingens simpliciter non est scibile, extractio illius ad alium modum, reddit illud scibile; & ita si formae accidentales spectentur specificative, accidentales sunt subiecto, v.g. albedo albo parietis: si autem sumatur paries albus quia albus, est illi essentialis albedo. Consequenter & contingenti, quia contingens erit essentialis contingentia, habebiturque jam illud obiectum immutabilitatem, requisitam ad scientiam. Tum quia vel scitur de contingenti posse dari Scientiam vel non scitur, si scitur. Ergo de contingenti datur scientia; Si non scitur. Ergo frustra negatur de illo non posse dari scientiam.

DICES I. Esse commune Sententiam, quod contingentium nulla sit Scientia.

RESPONDETUR. Communem sensum procedere, in quantum per aliquem modum contingentia non extrahitur ad rationem immutabilis & essentialis.

DICES II. Vi allatae responsionis sequi quod etiam de specificative sumpto contingenti possit dari Scientia.

RESPONDETUR. Eo casu dabitur Scientia de contingenti specificative sumpto, in quantum jam in illo ipsa specificatio reduplicabitur, vel sumendo rationem specificativam ut sic.

DICES III. Si potest dari de contingentibus scientia, deberet potius dari de illis specificative acceptis & materialiter.

RESPONDETUR. Posse dari explicationem termini Ly specificative sumptum contingens, quae ostendat transire contingentiam in essenziale, & hoc casu, de sic explicato specificative accepto contingenti dabitur potius scientia, sed non ita sumitur in praesenti. Et sicut non specificative sumpto albo essentialis est albedo; ita & in praesenti non specificative sumpto contingenti, est essentialis contingentia, sed sumpto reduplicative, si autem contingenti sumpto reduplicative est essentialis contingentia, hoc ipso tantum reduplicative sumpta, erit scibilis. Consequenter haec propositio: contingens est contingens, si faciat hunc sensum, impossibile est, ut id quod contingens est, sit necessarium, erit obiectum scientiae non nisi negativae. Ratio, quia &

ipsa modalis, est negativa, faciendo autem hunc sensum: necesse est ut contingens sit contingens, erit illa propositio Obiectum scientiae affirmativa. Ratio, quia & ipsa illa modalis est affirmativa.

QVÆRES III. An de singularibus possit dari Scientia? De singularibus secundum rationem communem singularitatis spectatis dari potest scientia. Ratio, quia de universali dari potest scientia, ergo & de ratione communi singularium. Rursus si spectentur singularia secundum rationem singularitatis, vel spectari possunt secundum rationem specificativam acceptam vel reduplicativam, & sic idem tenendum ac de contingentibus. Caterum etiam de specificative sumpto singulari, si sit illi essentialis singularitas, ut Deo, & Angelis in multorum sententia, potest dari scientia. Ratio, quia ita essentialis singularitas, habet sufficientem immutabilitatem & necessitatem.

ADDO. Per hoc non negari, quod de singulari etiam mutabili, possit dari scientia experimentalis. Ratio, quia potest quis scire & experiri, sed magnum habet, habere actum, qui tamen actus contingens est. Bonus item est iste Syllogismus in Darii, & scientificus, sed fundatus in scientia experimentalis, quoad minorem: Quidquid existit a parte rei est singulare & individuum. istum Syllogismum formans existit a parte rei. Ergo istum Syllogismum formans, est singulare & individuum.

DICES I. Artis non nisi est, & non scientiae, attendere ad singularia.

RESPONDETUR. Artem quia ars est, non procedere de singularibus secundum rationem communem vel reduplicativam spectatis, sic autem procedit scientia.

DICES II. Obiectum ad scientiam requisitum debet esse tale secundum naturam, sed singularia & contingentia non sunt tale quid secundum naturam, accidit enim illis contingentia. Ergo non possunt esse obiectum scientiae.

RESPONDETUR. Non accidere singularibus secundum rationem communem vel reduplicativam spectatis contingentiam, contingens enim sic sumptum, semper contingens est. Consequenter de talibus, dari poterit scientia.

DICES III. De Ente per accidens non potest dari scientia. Ergo nec de praedictis.

RESPONDETUR. Etiam de Ente per accidens, secundum rationem communem spectato, vel reduplicative, posse dari scientiam, hoc enim probant rationes supra adlatae. Deinde nomine Entis per accidens potest intelligi Ens fortuitum & sine ullo ordine de tali Ente ex 6. Metaph. 4 non potest dari scientia, quia non habet Causam sui necessariam; si autem nomine Entis per accidens intelligas ea, quae habent Causam suam certam, licet ex pluribus coalescant, de talibus potest dari scientia. Unde etiam

† A a 3 multa

multa Medici demonstrant de Pharmacis, de temperamento humorum &c.

DIFFICULTAS IV.

Quid sit Evidentia quid Certitudo Scientiæ.

Difficilia de hac Materia, videnda erunt & inferius, ubi de præmissis Demonstrationis, & in Materia de fide. Tractabimusq; hic de Evidentia & certitudine tenente se à parte actus, quia à parte scientiæ, quæ ipsa scientia, actus est.

Nomine Evidentiæ venit Claritas & Perspicuitas, quæ cognoscitur objectum, quæ definitio convenit soli, omni, & semper: Et sicut Evidentia corporalis, est claritas & perspicuitas visionis, ita eandem claritatem dicet, Evidentia intellectualis.

QUÆRES I. Quod sit entitativè Evidentia actus?

RESPONDETUR. Esse ipsummet actum intellectus, prout clarè & perspicuè repræsentat objectum, cognoscenti. Ratio, tum quia secluso omni superaddito, & positâ sola prædicta connotatione, salvatur sufficienter tota Evidentia. Nec potest ostendi quid plus requirat. Tum quia etiam visio corporalis, per suam entitatem est evidens. Ergo & Evidentia intellectualis; nulla enim est necessitas cujuscunque superadditi. Tum quia si Evidentia non est ipsa entitas actus, Ergo per aliud redditur evidens, quod ipsum illud aliud, debet esse per se evidens, ne derur processus in infinitum. Jam autem quæcunque ratio fundabit in illa Evidentia Evidentiam indistinctam, fundabit etiam in actu prædicto, indistinctam evidentiam.

ExPLICARI posset. Formalis ratio Evidentiæ tali discursu. Hoc quod in Corpore oculus, est in rationali substantia intellectus. Unde etiam vocatur oculus mentis. Porro corporalis oculus indiget perspicuè, quod sit à lumine; unde & visio ab Aristotele vocatur: actus perspicui. Intellectus etiam ex propositione indiget suo lumine, hinc & ad visionem beatificam requiritur lumen gloriæ, ad fidem lumen fidei, ad assensum conclusionis requiruntur præmissæ, quæ dicuntur lumine naturæ notæ. Hoc autem lumen non solum vocatur Claritas illuminativa objecti, potentia visiva, & medii, sed etiam vocari solet lumen & ipsa potentia. Unde dicitur: habet lumen clausa, id est oculos clausos, ita etiam & lumen intellectus non solum denotat claritatem, hoc est propositionem evidentem objecti, & ejus ad intellectum applicationem; sed notat & ipsam potentiam intellectivam; ideoq; dicimus; dicitur hoc illi lumen naturale, lumen rationis. Hoc autem ipsum perspicuè, clarè, evidenter propositum, optimè inter alia intelligitur ex Analogia clari, perspicui, evidētis, oculari visioni debiti, v.g. per expulsionem oppositi, hoc est, tenebrarum & obscuri, ita ut ea, quæ videntur sine obscuritate & tenebris, clarè dicantur videri. Proportionaliter ergo dicuntur clarè in-

telligi quæ intelliguntur sine nube & tenebris, obscurum autem nubes & tenebræ intellectus sunt, cum objectum nec in se videtur, nec in principiis lumine naturæ notis, sed vel in nube attentionis ut contingit in fide, vel simpliciter non videtur, ut contingit in errore. Evidentia ergo objecti erit Cognitio objecti in se, aut in principiis suis intrinsicis.

QUÆRES II. Quotuplex sit Evidentia.

RESPONDETUR. triplicem esse. *I. est Moralis*, quæ est Claritas objecti juxta regulas prudentiæ, expellens omnem formidinem in genere moris, talis est evidentia ex tot testimoniis, quod sit Roma. *II. Evidentia est Physica*, quæ est Claritas objecti, juxta exigentiam naturæ, fundatur hæc claritas in connexionione naturali unius cum alio, quantumvis impedibili à Deo. Talis est evidentia, quod ignis applicatus urat. Casu autem quo non urat, in tali suppositione non jungetur falsum cum evidentia, sed tantum inferetur, quod evidentia causet proportionatam sibi certitudinem, non majorem se, proportionata autem certitudo physicae evidentia, est certitudo naturalis, certum est autem naturaliter, quod ignis applicatus urat. *III. Evidentia est Metaphysica*, quæ est claritas omnem formidinem expellens, fundaturq; in connexionione extremorum ad eam necessaria, ut nec divinitus impediri possit, & sic non potest impediri à Deo, ne bis duo, sint quatuor.

QUÆRES III. An Evidentia Certitudinem, an Certitudo Evidentiam præsupponat.

Si sensus quæsit sit: an possit aliquid esse certum & tamen inevidens in hoc sensu certum est, posse aliquid esse certum, & non esse illud ipsum in se evidens, qualis est actus fidei. Si autem sensus quæsit sit, quod habeat rationem prioris Evidentiæ an Certitudo?

ASSERO. *Quod Evidentia habeat rationem prioris.* Ratio, tum quia scientia, de qua hic, est in ipsamet conclusione demonstrativa, & tamen conclusio præsupponit ante se, sicut præmissas, ita & Evidentiam illarum. Tum quia non ideo aliquid est evidens, quia est certum, sed ideo aliquid est certum, quia est evidens; Supple vel in se vel in aliquo antecedente. Tum quia, si certitudo non supponeret evidentiam, maxime actus fidei non supponeret eam, & tamen etiam is, præsupponit evidentiam motivorum credibilitatis ut alibi docetur, quæ Evidentia, in hoc discrepabit ab Evidentia Physica, quia evidentia motivorum credibilitatis, est non nisi moralis, Evidentia autem scientiæ, est Physica aut Metaphysica. Item Evidentia, quam supponit fides, est in alio assensu, nec refunditur in actum fidei. Evidentia autem in actu scientifico, ingreditur ipsummet actum. Regula autem universalis, per quam dignosci debeat; an in ipso actu certo includatur evidentia, hæc est, si res certo in se, vel per sua principia intrinseca cognoscatur.

Dices.

DICES. Potest Objectum fidei esse certum, quantumvis nulla sit evidētia motivorum credibilitatis. Ergo non omnis certitudo supponit evidētiā. Antecedens probatur, quia infallibilitas illius, quæ est plus quam Metaphysica, non debet ab ullo fallibili ex suo genere pendere; Jam autem evidētia motivorum credibilitatis, est fallibilis ex suo genere.

RESPONDETUR. Posse esse objectum fidei certum in se, sine evidētia motivorum credibilitatis, sed non per ordinem ad nos, ad quod tamen respicit præsens doctrina. Rursus præter evidētiā Motivorum credibilitatis datur illic, vel necessaria, vel ex suppositione antecedens certitudinem, evidētia objectiva, & per ordinem ad objectum, quæ evidētia stat in ipso nexu prædicatorum intrinsecorum objecti fidei, qui nexus adeoq; & evidētia præ certitudine prior est, licet nobis sit ignota. Quod autem dicitur actum fidei utpotè infallibilem non posse pendere ab aliquo fallibili, qualis fallibilitas est in motivis credibilitatis, ad hoc dici potest. Licet actus fidei non possit pendere ab aliquo fallibili, tanquam à ratione formali assentiendi, à qua sola habet infallibilitatem, potest tamen pendere ab aliquo fallibili, tanquam à supposito prærequisito, id enim non repugnat, & de facto actus fidei pendet ab intellectu, qui de se est fallibilis.

Quoad Certitudinem.

Certitudo cogitari potest duplex, quædam objectiva, & de hac agitur in materia de certitudine fidei. Alia est certitudo formalis, quæ definitivè est adhesio firma intellectus ad objectum, ejusq; Veritatem attingens. Dixi debere esse adhesiōem firmam, quia quantumvis sit objectum certum, si illud non firmè sed cum formidine apprehenderetur, erit probabilitas, non scientia. Dixi item istam adhesiōem, rem ut est debere attingere, quia interdum error trahit firmam adhesiōem (ut patet in aliquibus Hæreticis) adhesio tamen hæc, est error; quia est diffinitas cum objecto revelato.

Non rectè hæc certitudo explicatur per Cognitionem reflexam, qua quis judicet se non potuisse decipi, in primo actu directo, quia etiam actus iste reflexus, potest esse falsus ut patet in Hæreticis, reflectentibus se, & putantibus, quod non fallantur. Unde consequenter dico reflexiōem esse necessariā, per quam formaliter reflectat hanc non se intellectus, ad istud suum scire.

Addo firmam istam adhesiōem, vel oriri ex principiis intrinsecis, hoc est ex Evidētia & necessitate objecti, vel ex principiis extrinsecis, hoc est, ex testimonio alterius, ita ut si testis sit summè infallibilis, qualis est ipse Deus, hoc ipso & illud quod dicit Deus, est summè certum; quod si sit testis cui valdè competat, ut non fallatur, erit etiam illud objectum, quod testatur, certum moraliter.

QUÆRITUR I. *Quod sit in re Certitudo actus?* Certitudo actus est ipsemet actus intellectus firmus, rem ut est attingens. Ratio ex dictis in simili, quia nulla est necessitas superaddendæ, certitudinis, distinctæ realiter.

QUÆRES II. *Quotuplex sit Certitudo?* Multiplex est Certitudo. Moralis, Physica, Metaphysica. Fidei Divinæ & visionis beatæ, sed has postremas ex parte objecti esse æquales, dicitur in Materia de fide.

QUÆRES III. *An unus actus possit esse certior alio?*

Indubiè certitudo formalis datur una major præ alia, quia illam etiam experimur in nobis; si res sit de certitudine ex parte objecti, potest etiam esse major una præ alia, nam certo morali, certius est certum physicum, & præ hoc, certum Metaphysicum. An autem & quomodo fides sit certior certitudine Metaphysica, tractatur in Materia de fide.

ADDO. Certitudinem latius patere quam Evidētiā Antonomasticon dictam quia certitudo conjungitur & Evidētiæ in scientia, & evidētiæ in fide.

DIFFICULTAS V.

De specificatio-vo Scientiæ.

NON quæremus hic de Specificatione Actuum ut sic, sed maxime attendemus ad id, per quidnam differt una scientia ab alia. *sic*

Punctum Difficultatis I.

*Rejiciuntur modi quidam explicandi specificati-
vum Scientiarum.*

EXPLICARI solet I. Specificatio scientiarum per objectum formale, ita ut illæ scientiæ sint specie distinctæ, quæ habent aliud objectum formale. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT I. Quia ratio formalis unius scientiæ, v.g. ratio formalis, quæ potest esse ratio materialis alius scientiæ. Ergo non sufficienter scientia per solam rationem formalem distinguetur. Consequentia probatur. Quia quod potest transire à scibilitate unius scientiæ, ad scibilitatem alius scientiæ, non potest esse sufficienter unius scientiæ ab alia distinctivum, aliàs per aliquod utrique scientiæ commune, distinguerentur illæ scientiæ, quod repugnat. Antecedens principale probatur. Quia supposito, quod rectificabilitas Operationum intellectus, sit objectum formale Logicæ, adhuc hæc poterit considerari à Physica sub formalitate motus animæ; à Metaphysica sub ratione Entis. Ergo ratio formalis, Quæ, unius scientiæ, potest esse ratio materialis alius scientiæ.

NON SATISFACIT II. Quia hæc explicatio, non ostendit cur multitudo actuum scientificorum, quos constat esse phyficos, & multitudo actuum

actuum scientificorum quos constat esse Metaphysicos, non referatur ad aliquod aliud formale commune utrique, ita ut ex utraque quasi partiali scientia, conflatur una totalis.

NON SATISFACIT III. Quia Ratio formalis Objecti triplex ordinariè numerari solet. Prima Ratio formalis, *Quæ*, & hæc rationem materialis suo modo restringit, & per hoc formalizat. Alia Ratio formalis *propter quam* & est ratio motiva assensuum scientificorum. Alia Ratio formalis *sub qua*, & hæc est Ratio, sub qua, scientia objectum suum attingit, nulla harum rationum est sufficienter specificativa scientiarum. Non *Ratio qua*, quia ratio formalis *Quæ*; sub ratione formalis *Quæ*; non habet rationem ultimi, sed se habet sicut risibile, quod non est ratio formalis *Quæ* hominis, sed est aliquid ejusdem, cum revocetur ad rationale, radicaliter sumptum. Non etiam hoc specificativum est ratio formalis *propter quam*, quia in unaquaque scientia, dantur pluramotiva distincta specie, aliud enim motivum est in physica, quod datur materia prima, & aliud quod non datur vacuum. Neque valet si recurras quod reliqua omnia motiva revocentur ad unum, quod enim istud unum est motivum in physica. Imò sequetur omnes scientias esse ejusdem speciei, omnes itidem actus, quia omnium horum assensus, resolvitur in principium: Impossibile est idem esse & non esse, aut aliud simile. Non etiam hoc specificativum est *Ratio sub Qua*, quia ratio *sub qua* ordinariè dicitur esse diversa abstractio, quæ non est specificativa ut dicitur infra. Deinde Ratio *sub Qua* est ratio sub qua ipsa jam, scientia, tendit in objectum. Ergo debet dari aliud specificativum ejus, quod ipsum sub illa ratione tendit, cum præsupponatur ipsum tendens, esse, ipsi rationi *sub qua* tenditur.

DICES I. Constituitur per rationem formalem *Quæ* objectum. Ergo & differt per rationem *Quæ*.

RESPONDETUR. Argumentum multum probare, quia probaret specificari scientiam per objectum pluribus conveniens materiale, cum objectum totale ingrediatur & constituat, ipsa etiam ratio materialis. Directè autem dici potest per rationem formalem *Quæ*, ultimè, non constitui objectum.

DICES II. Non considerari v.g. rectitudinem Logicam à Metaphysica & sic de reliquis. Ergo ipsum formale illius Scientiæ seu Ratio formalis *Quæ*, non potest esse ratio, ab alia Scientia attingibilis.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, quia rectitudo v.g. illa adhuc est Ens adeoq; considerabilis à Metaphysica.

DICES III. Specificari Scientias per Rationem formalem propter quam considerationis, hoc est per rationem ad quam, cetera in cognoscendo, attribuuntur: quamvis non specificentur per rationem propter quam illationis, hoc est, non per principia motiva assensuum.

RESPONDETUR. In re rationem illam propter quam considerationis esse rationem propter quam Illationis, utraque ergo specificativa erit saltem in re. Deinde quænam talis est v.g. in Physica ratio. Denique ut dixi, sequetur omnes actus, esse eosdem Specie, ponendo quod principium: Quodlibet est vel non est, sit principium considerationis.

EXPLICANT II. THOMISTÆ. Specificationem Scientiarum per diversas abstractiones. Triplex autem per illos fieri potest Abstractio I. à *Materia singulari non tamen sensibili*, hoc est, ab hæccitatibus, non tamen à ratione materialis, sensibilis, & hæc abstractio convenit Physicæ, nam illa non speculatur hoc Corpus, consequenter non speculatur hæccitates, speculatur tamen Corpus materiale, sensibile, hoc est capax, sensibilem, capax v.g. frigoris, caloris, albedinis, quæ omnia sunt sensibilia. II. *Abstractio est quæ abstrahit à singulari & sensibili*, non tamen ab imaginabili seu intelligibili materia, & talis abstractio per illos convenit Mathematicæ, quæ non considerat hunc circulum, nec considerat, an sit niger vel calidus; considerat tamen aliquid materiale, certè enim circulus non est spiritus. III. *Abstractio est à Materia singulari, sensibili & imaginabili*, & hæc convenit per illos Metaphysicæ, quæ res à materia depuratas considerat.

IMPUGNAT I. hanc Explicationem Arriaga & Oviedo, quando abstractio fit à materia singulari, hoc ipso fit à Materia sensibili, nihil enim sentiri potest, nisi sit singulare. Ergo nulla est abstractio à Materia singulari, quæ non sit à Materia sensibili, cujus oppositum docent Thomistæ.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Ratio, quia hæc abstractio, fit per actus intellectus, nec est neganda intellectui vis, per quam abstrahat & depuret rationem singularis à Materia, non depurando eandem à Materia sensibili. Deinde nomine sensibilis, venit, non solum id, quod actu afficitur qualitatibus sensibilibus; sed etiam id, cui natura sua convenit affici istis qualitatibus, quantumvis actu non afficiatur, actuq; non sentiat: hinc habetur fundamentum, ut posita abstractione à ratione singularis, possit adhuc non fieri abstractio à ratione sensibilis.

IMPUGNAT II. Oviedo. Si per abstractiones essent Scientiæ adæquatè specificandæ, tunc Metaphysica tres adæquatas Species haberet, haberet enim tres adæquatas abstractiones. I. Est abstractio rerum communium, quæ licet à materia abstrahant præcisivè, non tamen abstrahunt negativè, hoc est non repugnat illis componi cum materia, hinc ratio entis, licet præscindat à materiali, non enim ubicunq; est ens illic est esse materiale. Sed tamen non negat ens materiam; aliàs nunquam posset esse, materia, ens. II. Abstractio est intelligentiarum quæ & præscindunt à materia, & negant materiam. Angeli enim

enim non possunt esse corpora, quamvis non abstrahant à compositione Metaphysica ex substantia & accidentibus. III. Abstractio est, quæ præcindit à materia, & negat materiam, insuper non admittit ullam compositionem & talis, est Deus. Has omnes abstractiones & illarum objecta, considerat Metaphysica, nec tamen triplex est.

RESPONDETUR. Negando Sequelam & ejus probationem. Ratio, quia abstractio adæquata specificativa Scientiarum, non est quæcunque reperibilis in objecto abstractio, sed talis, quam & consideret illa Scientia per se & ad quam reliqua omnia referat. Porro abstractionem, quæ circa Deum est, refert Metaphysica ad universalem ab omni materia abstractionem, ad abstractionem verò, quæ circa Deum fit, alios actus circa alia objecta non refert Metaphysica. Unde istæ diversæ abstrahibiles, quas argumentum attulit, sunt abstrahibiles exiguæ à ratione entitativa objecti, non verò à ratione scibilis Metaphysici; alias ubicunque scibilitatem suam inveniret Metaphysica, illic deberet v. g. abstrahibilitatem ab omni materia, & incomponibilitatem etiam cum accidentibus, invenire, quod tamen soli Deo competere, & fides & ratio docet.

IMPUGNAT III. idem. Sed hæc impugnationes solvi possunt si hæc teneantur. I. quod abstractio à materia corruptibili non possit dare speciem distinctam scientiæ ex eo: quia incorruptibilitas revocari potest ad Physicam, quæ, cum consideret Corruptionem, oppositam etiam incorruptionem potest considerare, vel incorruptibilitas revocabitur ad Metaphysicam, quæ hoc ipso, quia à quacunque materialitate abstrahit, censetur etiam incorruptibilitatem considerare. II. Teneri hoc potest quod fieri possit, ut aliqua, ratione suæ entitatis eodem modo à materia abstrahant, & tamen non eandem in ratione scibilis abstractionem habeant, & ita operatio nostri intellectus, æquæ est spiritualis cum consideratur à Logica, quam cum consideratur à Metaphysica vel Physica, secundum tamen diversas abstractiones in ratione scibilis ad diversas pertinet Scientias. *Ceterum hæc Explicatio*

NON SATISFACIT I. Dantur Specie distinctæ Scientiæ, quæ non diversificantur abstractionibus. Ergo in abstractiones à Materia specificativum Scientiarum reduci non potest. Antecedens probatur. Logica est specie distincta à Metaphysica, & tamen non habet distinctam Specie abstractionem ab abstractione Metaphysica, quod ipsum probatur. Non habet Logica speciem ab abstractione, quæ sit à Materia singulari non tamen sensibili, quia alias Logica esset Physica, utpotè eandem cum illa habens abstractionem. Item non specificatur Logica ab abstractione à materia singulari & sensibili, non

tamen imaginabili aliàs idem esset quod Mathematica. Ergo specificari debet ab abstractione à Materia tam singulari quam sensibili, quam imaginabili, quæ tamen abstractio seu specificativum convenit Metaphysicæ.

NON SATISFACIT II. Quia quæcunque assignata fuerit abstractio debita Logicæ, ea vel non distinguet Logicam ab Ethica, vel certè intra eundem v. g. physicæ habitum diversificabit specie adæquata, etiam ea objecta, quæ non debent diversificari.

RESPONDEBIS. Logicam abstrahere à materia etiam intelligibili, non tamen à Materia operabili.

CONTRA. Sequetur jam Ethicam quæ non abstrahit ab operabili esse Logicam. Sequeturque contra sensum Thomistarum, plures jam esse species abstractionum præ illis tribus.

NON SATISFACIT III. Quia etiam res materiales sunt scibiles. Ergo abstractio à materia non est necessaria ad scienda objecta. Ergo abstractio à materia non specificat scientias. Antecedens probatur, quia de facto demonstrantur aliqua de materialibus, & si res materiales non essent scibiles, vel idè non essent scibiles, quia sunt singulares, & hoc non concludit; quia etiam res spirituales sunt singulares, & tamen sunt scibiles; præsertim cum ratio communis, etiam materialium, ab intellectu, cum fundamento in re formari possit, vel idè non essent scibiles res materiales, quia de re materiali enuntiaripotunt propositiones contingentes, & hoc non convincit; quia etiam de spiritualibus formari possunt propositiones contingentes, v. g. Angelus cogitat, & tamen spiritualia sciri possunt: præcipuè autem cum enunciatio unius propositionis contingentis, facere non possit ne enuntientur propositiones de eodem objecto necessariæ; vel idè res materiales non essent scibiles, quia intellectus materialia non per modum materialium, hoc est non per species materiales, sed immateriales apprehendere debet: & per hoc Scientiæ specificari non possunt, quia in unaquaque scientia, species objectorum, ab intellectu, per modum æquæ immaterialium formantur, & sic æquæ est spiritualis species, quæ repræsentat mihi Angelum tanquam juvenem alatum, atque est species immaterialis, quæ repræsentat lapidem. Ergo à sic sumpta materialitate, non possunt specificari scientiæ.

DICES I. Aristoteles 6. Metaph. Text. 2. & 3. ex ista diversâ abstractione distinguit Physicam, Mathematicam, Metaphysicam.

RESPONDETUR. Aristotelem solum hoc vel, quod dictæ abstractiones in dictis scientiis reperiantur, non autem quod specificent.

DICES II. Actus specificantur non ab objecto materiali. Ergo à formali, sed objectum formale dicit abstractionem. Ergo ab abstractione specificantur.

Re-

RESPONDETUR, quòd formale objectum, dicat abstractionem tanquam conditionem sub qua, non autem tanquam aliquod prædicatum specificativum: conditio autem sub qua, non specificat; sicut nec ultio specificatur ab approximatione ignis.

DICES III. Materialitas objecti officit scientiæ. Ergò ut cognoscatur objectum debet abstrahi.

RESPONDETUR. Etiam posito quòd debeat abstrahi objectum, non sequitur abstractionem illam specificaturam. Arriaga etiam advertit materialitatem non officere scientiæ, nam nihil nos cognoscimus nisi dependentem à sensibus. Imò si materialitas obest scientiæ, sequitur, quòd Physica & Mathematica non sint scientiæ; verè enim dicunt aliquam materiam, jam autem aliqua materia, est verè materia.

Punctum Difficultatis 2.

Rejiciuntur alii modi idem explicandi.

EXPLICAT IV. Arriaga hic disp. I. sec. II. num. 17. quòd Scientiæ specificentur ab objecto, tam Attributionis quam Attributo. Ratio, scientia non solum respicit objectum Attributionis, sed etiam objecta Attributa. Ergò etiam per illa specificatur. Additq; etiam ab objecto materiali proximo, specificari scientias: quia actus respiciunt etiam objectum proximum materiale, ita, ut saltem numero mutetur actus, pro mutatione objecti materialis proximi. Sed tamen ait ab objecto materiali remoto non specificari scientias, quia in se, nullo modo attingitur, perinde ac visio albedinis, non specificatur à pariete, eritq; eadem numero, si ve albedo sit in papyro si ve in homine, paries enim est objectum remotum ad visionem. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia nomine specificativi, venit hic formalitas, quæ ulterius non revocetur in illo genere: jam autem objectum Attributionis solum, non revocatur ulterius in scientia: si ergò specificabit, solum specificabit, adeoq; non specificabit scientias objectum Attributum. Præcipuè cum cognitio objecti Attributi, referatur ad objectum Attributionis, nec sinitur in Attributo.

Deinde hic quaeritur de specificativo, quòd sit solum, ratio differendi, jam autem materiale objectum, nisi ulterius quid addatur, est ratio etiam conveniendi.

EXPLICAT V. Oviedo. Specificationem scientiarum per subjectum formale, ita ut illæ sint distinctæ scientiæ, quæ distincta habent subiecta formalia, de quibus sub tali ratione demonstrat scientia passionem, causas, proprietates &c. Si autem quæras, per quid hoc ipsum

subjectum, sit distinctum, ab alio subjecto scibili, dicit desumendum id esse ex ipsa rei natura, juxta quam instituitur scientia adæquata, hinc incongruum est Conclusiones Logicas & Mathematicas in unum confundere, quæ ex natura sua aded sunt diversæ, non tamen hæc Unitas scientiarum ita est constituta, ut aliter inquit ille, non potuerit à Scientiarum Principibus taxari, attenda etiam ipsa rerum convenientia & disconvenientia. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT I. Quia ipsum subjectum formale ut dictum supra potest habere rationem materialis, adeoq; non distinctivi à reliquis scientiis.

NON SATISFACIT II. Quia ex una parte dicit quòd debeat desumi species scientiæ ex ipsa rei natura, ex altera parte, dicit, potuisse aliter speciem suam habere scientias, si alia taxa Doctorum accessisset; cum tamen quæ ex rei natura sunt talia, placitis humanis mutari non possint.

NON SATISFACIT III. Logica v. g. non potest habere actus Metaphysicos aut Ethicos, si enim definitio non potest esse Syllogismus, nec Syllogismus definitio. Ergò actus Logici v. g. non possunt esse actus Metaphysici & è converso. Ergò non stat jam in placito Philosophorum, ut hæc scientia, habeat hanc speciem.

Punctum Difficultatis 3.

Explicatur specificativum Scientiæ.

DICENDUM est. Specificari Scientias per naturam objecti attributionis, ita ut illæ scientiæ dicantur specie distingui, quæ habent objecta attributionis distincta. Videtur hanc sententiam docuisse Suarez. disp. 44. Sec. II. num. 63. & 68. Ut explicetur Conclusio.

PRÆMITTO I. Quod objectum formale attributionis non desumatur à placito Philosophorum, idq; tali discursu proponitur. Objectum non ideò est tale, quia cognoscitur, sed ideò tale cognoscitur, quia tale est, cum enim objecti cognoscibilitas sit ipsa rei entitas, prout objicibilis actibus intellectus, si nostra cognitio, rei entitatem non facit nec faciet scibilitatem objecti. Consequenter nec faciet objectum esse tale, quia cognoscitur ab intellectu, cum potius ideò tale cognoscatur, quia tale est.

Quod si talitatem suam objectum in communi, non sumit à cognitione, certè neque hoc ab intellectu desumet objectum aliquod, quia exigit has species, has proprietates, hæc principia, non est enim major ratio unius, quàm aliis, semperq; cognoscibilitas objecti, antecedit notitiam scientiæ. Consequenter non pendeat hoc à nostris conceptibus, quòd corpus habeat partes compositi-

positivas materiam & formam, nec pendeat hoc à nostro placito, quòd Elementa, Caeli &c. sint species corporis, quòd item Quantitas sit ejusdem proprietates. Porro si non pendet à nostris conceptibus, quòd hoc objectum has causas, has proprietates, hæc opposita habeat &c. Consequenter non pendeat ab arbitrario placito, quòd hoc & non aliud, sit objectum attributionis, esse enim objectum attributionis, est esse tale, ad quòd omnia, dictis ut numeravi modis in scientia revocantur.

PRÆMITTO II. *Pendere id à Natura ipsa Objecti.*

RATIO. Si enim non pendet ab arbitrario nostro placito, quòd hoc sit objectum attributionis. Ergò hoc debet proficisci ab ipsa rei natura, quidquid enim est, est aut per rationem nostram, aut realiter, hoc est, non per rationem nostram. Si ergò rationem objecti attributionis, res non habeat beneficio conceptuum nostrorum, habebit id necessario, adeoque ex natura, realitate, essentia sua. Jam verò si pendet hoc ab ipsa rei natura, quòd hoc sit objectum attributionis, pendeat etiam ab ipsa rei natura, quòd hoc objectum sit in hac vel illa specie: cum enim res non per aliud à se, sint res, nec per aliud à se, sint in hac specie, esse enim illam, & esse in hac specie, est idem entitativè & realiter; hinc si se ipsa, & non beneficio conceptuum nostrorum, est hæc res, objectum attributionis, se ipsa & non beneficio conceptuum nostrorum, hoc objectum, habebit speciem suam condistinctam, à specie, quam habet objectum aliud scientiæ, & sicut homo habet hoc ex exigentia suæ naturæ, quòd homo sit, quòdque sit in hac specie animalis rationalis, habet hoc itidem ex essentia & natura hominis; ita & in præsentia, si objectum attributionis, quòd sit objectum Attributionis habet hoc ex essentia & natura sua, consequenter & quòd species illius sit differens specie, ab objecto aliud scientiæ, habebit hoc ex essentia & natura sua.

PRÆMITTO III. *Quòd esse hoc objectum Attributionis, non sit quid distinctum re, ab ipsomet objecto materiali & formali, simul sumptis.* Hujus enim nulla necessitas, imò nec ostendi potest quid sit illud; tamen hæc ratio distinguitur ratione ab objecto materiali & formali; nam formale revocatur adhuc ad objectum Attributionis, habetque formalitatem contenti, habet formalitatem inadæquati &c. hæc autem præstant fundamentum, hæc duo inter se distinguendi. Formalitasque constituens objectum in esse objecti Attributionis, est referibilitas ad illud omnium, in illa scientia contentorum. Quam referibilitatem ad se, non dicunt objectum materiale & formale sub ratione materialis & formalis, quamvis illa ipsa referibilitas nihil sit in re, præter ipsum materiale & formale simul sumpta. *His præmissis*

PROBATUR I. Conclusio argumento negativo, quia scientiæ debent per aliquid specificari, non specificantur autem per aliquid commodius,

quàm per objectum Attributionis, per quid enim?

PROBATUR II. Quia secundum persuasione Doctorum, quæ attendit ad nexum, quem habent scientiæ cum objectis tanquam cum terminis suarum relationum, debent scientiæ distinguere per objecta, sed non per aliud, quàm per objectum attributionis ut colligi potest ex impugnationibus allatis. Ergò.

PROBATUR III. Ex proportionem ad alia specificativa, quia in aliis ea specificant, quæ sunt radix reliquorum, ad quæ, omnia reliqua, tanquam ad ultimum revocantur, & quæ faciunt alteri illud non convenire. Sed solum objectum Attributionis est tale, hoc enim deponit ipsa natura & formalitas attributionis.

OBJECTUR I. Si scientiæ fumerent suam speciem ab objecto attributionis natura sua tali, sequeretur scientiarum inventores nihil invenisse, cum scientiis objecta non invenerint, sed hoc est falsum. Ergò.

RESPONDETUR. Nihil quidem inventores scientiarum objectis contulisse à priori, non enim fecerunt, quòd hoc objectum tales causas, talia principia, tales species, exigat: contulerunt tamen aliquid à posteriori, quia sua speculatione adverterunt ad hoc objectum &c. ad eum modum quo venatici canes feram in sylvis non ponunt, sed investigant.

OBJECTUR II. Si objectum attributionis daret speciem scientiæ, non essent plures objectorum species intra eandem scientiam, sicut non sunt plura objecta attributionis, sed sunt plures species.

RESPONDETUR. Esse plures species inadæquatas objectorum in scientia; unam tamen adæquatam & ultimam, desumibilem ab objecto attributionis; multoque magis erunt plures species objecti, secundum rationem entitativam.

INSTABIS I. Si possent esse plures species objecti etiam in ratione Entis, hoc ipso non revocarentur ad unum specie objectum attributionis, quia species non revocantur ad species, sed ad genera.

RESPONDETUR. Veram esse propositionem de speciebus adæquatis adeoque non subordinatis; non autem de speciebus inadæquatis seu subordinatis ad eum modum quo ex pluribus speciebus medicis, conficitur una specie medicina.

INSTABIS II. Si possent revocari plures species objectorum ad objectum attributionis, etiam objectum attributionis, posset alio revocari & sic in infinitum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia & esset illud objectum attributionis ut supponitur, & non esset attributionis, quia de essentia objecti attributionis est, aliò non revocari.

INSTABIS III. Saltem non adesse causam: cur objecta scientiarum non possint revocari ad unam scientiam, & unum objectum, quòd sit Ens specu-

speculabile ut speculabile, & hoc docuit Mirandulanus. Probabileque putat Oviedo.

RESPONDETUR. Negando Sequelam, quia non debet esse idem objectum scientiarum, quod & ipsius intellectus: quia intellectus latius se extendit, quam scientia; hinc extendit se intellectus, & ad opiniones & ad sophismata, ad quæ se per se, non extendit scientia. Jam verò si scientia, ad quam tu vis revocari alias scientias, haberet objectum Ens speculabile, illa scientia se tam late per se extenderet, atque ipse intellectus. Deinde hoc ipso, sequeretur jam in scientiis particularibus, non dari rigorosum objectum attributionis, sed non nisi in illa scientia, ad quam reliquæ omnes revocarentur, quæ saltem ipsa, adhuc per objectum attributionis specificaretur ex dictis, quod sufficeret ad verificandam Conclusionem de specificatione scientiæ. Denique cum dentur scientiæ etiam practicæ, saltem illæ, non referent suum objectum, ad Ens speculabile.

OBJICITUR III. Objectum attributionis est scientiæ extrinsecum. Ergo illam specificare non potest.

RESPONDETUR. Si quid ipsum sit ad extrinsecum, ab extrinseco tanquam sibi proportionato, specificari poterit. Cum ergo scientia sit ad aliud, nempe ad objectum, ultimato autem ad objectum attributionis, bene ab illo specificari poterit. Deinde etiam specificatio in scientia alia est extrinseca, & hæc habetur ab objecto, alia intrinseca, & hæc habetur ab ipsa entitate scientiæ, fundante talem habitudinem ad objectum.

OBJICITUR IV. Si scientia haberet unum objectum attributionis natura sua tale in specie, sequitur scientiam esse simplicem qualitatem, sed non est simplex. Ergo.

RESPONDETUR. Ipsum objectum attributionis, non esse simplicem qualitatem, nam dicit cognitionem causarum, effectuum, specierum &c. quæ nec in ratione entis, nec in ratione scibilis sunt idem. Caterum si objectum attributionis præcisivè sumatur, nondum scientia erit simplex qualitas, quia ratio simplicis qualitatis, non est pensanda ex præcisionibus & intentionibus nostris, sed ex eo quod est à parte rei, cum & ipsa ratio qualitatis simplicis, sit quid physicum. Jam autem à parte rei objectum attributionis spectatum, importat plura.

OBJICITUR V. Hanc sententiam non condistingui à sententia per rationem formalem *Quæ* distinguente scientias.

RESPONDETUR. In re quidem rationem objecti attributionis, non distingui realiter ab objecto formali; distingui tamen ratione; quia competunt aliqua prædicata rationi attributionis, quæ non competunt rationi formali quæ, & hæc ipsa prædicata sunt proportionata iis, quæ competunt manifestè specificativis rationibus. Nam v. g. ratio specificativa ultimo, non refertur ad aliud, in eo, quod specificatur, ut videre est in ra-

tionalitate, quæ in homine ad nihil aliud refertur, cum tamen ad illam visibilitas v. g. refertur. Jam autem ratio formalis quæ, præcisè spectata, id non importat, imò deposcit ut refertur ad objectum attributionis quæ tale. Ratio item specificativa ultimo petit ut ad se alia referantur, hoc autem non dicit ratio formalis *Quæ*, quæ talis, cum id tamen dicat ratio attributionis. Non nego tamen etiam in objecto attributionis posse aliquid commune aliis scientiis reperiri: neq; hoc obstat quominus per objectum attributionis specificentur scientiæ; sicut non obest ut rationalitas specificet hominem quantumvis in ea aliquid commune involvatur; nempe ratio Entis.

OBJICITUR VI. Unus intellectus sufficit ad omnia cognoscibilia, unus sensus communis ad omnia sensibilia. Ergo & una scientia sufficeret ad omnia scibilia.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia absurdum est idem esse objectum scientiarum & intellectus, ut dictum supra, quod absurdum non sequitur, si intellectus sufficiat ad omnia cognoscibilia, & sensus unus communis, ad omnia sensibilia. Deinde, quia potentia hoc ipso, quia potentia est, censetur communiter ad omnia illius lineæ objecta, se extendere, essetq; illa multiplicatio potentiarum sine necessitate, hinc unus v. g. intellectus, extendit se ad omnia intelligibilia. Jam autem est necessitas multiplicandi scientias, nec scientia, ex eo, quia scientia est, extendere se debet ad quodvis scibile.

OBJICITUR VII. Si specificarentur scientiæ ab objecto, deberent illa objecta quocunq; modo sumpta, habere unitatem physicam.

RESPONDETUR. Negando Sequelam. Ratio, quia hujus unionis physice nulla necessitas, præcipue quia hæc pertinentia objectorum ad unam scibilitatem, nihil aliud est, quam revocabilitas eorundem ad unum attributionis objectum; & ex parte objecti exigentia, ut si cognosci perfecte debeat, debeant etiam cognosci illius species, cause, proprietates, &c.

INSTABIS. Arbitraria est divisio mundi in 4. plagas, ergo & arbitraria Divisio scientiarum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia istius quaternarii, nullum fundamentum est in natura, quod autem materia & forma sint principia corporis naturalis, quod Quantitas sit illius passio &c. fundatum est hoc in natura, & quia objectum attributionis in hoc stat, quòd ad illud revocetur, hoc quidem tanquam principium, illud tanquam passio &c. ideo objectum Attributionis, non erit ex placito.

DIFFICULTAS VI.

De Unitate Scientiæ.

Maximè hic attendemus ad hoc; an Scientia sit simplex qualitas, de quo sit

PUN.

Punctum Difficultatis 1.

Proponuntur quedam de eo: an Scientia sit simplex qualitas.

PRÆMITTO 1. *Quod hic procedat questio non de uno actu scientifico, qui habetur per unam numero operationē intellectus, hæc enim, quia est unus adeoque indivisibilis actus, hoc ipso simplex qualitas est. Sed procedit questio de facilitate, quæ oritur ex frequentatis actibus, proceditque circa plura objecta, & vocari solet scientia habitualis, est item questio de scientia totali, abstrahendo ab hoc, quod habitualis sit vel non, an scilicet illa sit impartibilis, indivisibilis &c.*

PRÆMITTO 2. *Quando queritur: an scientia sit simplex qualitas non queritur: An habeat scientia partes entitativas materiales: scientia enim est spiritualis & intellectualis perfectio, sed queritur, an sit coalescens ex pluribus entitatibus spiritualibus.*

PRÆMITTO 3. *Aliud est querere: an scientia sit simplex qualitas quoad intensionem, scilicet an excludat gradus, majorem & majorem facilitatem adferentes, & de hoc in præsentinon est lis. Et aliud est querere: an scientia sit simplex qualitas, hoc est, an una eademque indivisibilis, extendat se ad plura specie objecta, ad eum modum, quo unus & indivisibilis intellectus, extendit se ad quodcunque noscibile.*

DICENDUM est 1. *Nullam esse unitatem scientiæ, quæ oriatur ex compositione physica illius scientiæ.*

PROBATUR. Quia compositio physica, est ex actu & potentia, hoc est ex forma & materia, aut consimilis, ei, quæ est inter partes continui. Tantum enim hi sunt modi compositionis physici, neutra compositio est in scientia totali. Ergo nec ulla. Minor probatur quoad primam partem. Quia actus scientiæ, non comparantur inter se sicut materia & forma physici: quia nullus actus recipitur in alio ut in subiecto, neque actuat illum, sed uterque actus, est perfectio scientiæ. Tum quia, non est ratio: cur hic potius actus habeat rationem materiæ & alter formæ physici; hocque ipso alteruter actus non esset physicè actus, si alteruter esset materia. Tum quia, si unus actus comparatur, respectu alterius ut materia, quæro: an iste actus sit unus, an multiplex? si multiplex quæro; cur non sit unus? sicut materia in physicis est una; quod si ille actus habens se per modum materiæ, est unus. Ergo plures actus scientiæ in una totali scientia, non sunt possibiles naturaliter, sicut non essent plures homines, si non esset possibilis, nisi unius hominis materia. Secunda Minoris Pars probatur. Si haberent inter se actus scientifici continuationem, talem, qualem partes continui, continuatio illorum esset, aut destructio tantum terminorum, sicut continuatio unius guttæ cum alia, per multos, est sola destructio terminorum utriusque guttæ, aut esset modus aliquis entitativus superad-

ditus qui uniat guttas; neutro modo est continuatio in scientia totali. Non per destructionem terminorum, quia res spirituales, quales sunt actus sciendi, nullos habent terminos, non item per Entitatem modalem unitivam, quia hujus ponendæ inter actus scientificos, nulla est necessitas.

DICENDUM 2. *Necesse est in anima dari aliquos habitus & scientias, qui sint simplices qualitates.* Ita Suarez disp. 44. sec. II. n. 23.

PROBATUR. Quia scientia totalis, vel est simplex qualitas, vel aggregata ex pluribus, si est simplex qualitas, Ergo vera conclusio; si est aggregata ex pluribus, quæro: illa ipsa plura vel sunt aggregata ex pluribus, vel simplex qualitas, si simplex qualitas. Ergo dantur habitus, qui sunt simplices qualitates; si verò sunt aggregata ex pluribus, de illis ipsis redibit questio, deveniri; debeat ad aliquid simplex: quia omne compositum, in aliquid simplex, & omnis numerus, in unitatem resolvitur.

RESPONDEBIS. Dantur qualitates constantes ex multis, quæ tamen non resolvuntur in simplices qualitates. Sic v. g. sanitas constat ex recto habere ventriculi, cordis, capitis &c. & tamen hæc sanitas, non resolvitur in unam qualitatem simplicem, in quam enim?

CONTRA. Etiam sanitas resolvitur in unum aliquid simplex non quidem tale quod seipso & sua entitate, sit totum id, quod dicit illud aggregatum ex pluribus, sed resolvitur in aliquid simplex, quod tamen est sanitas inadaquata, & sic calor naturalis non est sanitas completa & adæquata, est tamen sanitas inadaquata & simplex quid, in ratione sanitatis oriundæ ex calore naturali.

DICENDUM est 3. *Scientia totalis quæ habereet unum idemque objectum formale immediatum, esset simplex qualitas.*

PROBATUR 1. Auctoritate Aristotelis I. posteriorum tex. 7. ubi ait scientias esse diversas, quarum principia non ex eisdem sunt. Ergo scientiæ illæ, quarum principia ex eisdem sunt, seu quarum unum motivum formale est, sunt eadem, habetque id etiam S. Th. I. 2. 2. q. 54. art. 4.

PROBATUR 2. Tum quia scientiæ quæ habent unum idemque formale motivum, neque multiplicuntur ratione formalium objectorum, est enim idem formale ut supponitur, nec ratione materialium objectorum, quia hæc ut suppono non multiplicunt scientias, ergo absolute non multiplicuntur. Tum quia fides, est simplex qualitas, idque non ex eo, quod habitus fidei sit per modum potentie, nam etiam intellectus noster est potentia, & tamen indiget pluribus habitibus scientificis, ex eo quia procedit ex diversis motivis specie, hinc & fides si haberet motiva specie distincta, indigeret pluribus habitibus fidei. Ergo quod sit fides simplex qualitas, peti id debet ex eo, quod unum idemque formale motivum immediatum habeat. Ergo idem dicendum

† Bb

dum

dum de scientia, quæ idem formale motivum haberet. Tum quia unica demonstratio secundum conclusionem est simplex qualitas. Ergo & scientia habens unum formale erit simplex qualitas.

PROBATUR 3. Quia si ponatur scientia habens non nisi unum motivum formale, nullum erit principium illam plurificandi, quod enim? & certè si se habeat cognitio huius, ita, sicut alterius v. g. si cognitio effectus aut passionis, ita se habet sicut causæ, sicut scientia est simplex qualitas respectu huius causæ, ita erit simplex qualitas etiam respectu v. g. effectus & passionis, cum ita se habeat respectu aliorum objectorum, sicut respectu unius causæ.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Si scientia totalis habens unum motivum formale, esset simplex qualitas, tunc aucto habitu, respectu unius objecti materialiter diversi, augeretur etiam respectu alterius; sicut habitus fidei, æquè intenditur respectu unius objecti, atq; alijs, hoc autem scientiæ, sine fundamento tribueretur.

RESPONDETUR. Posito quòd illa scientia uni motivo inniteretur, si semel ponatur intentio respectu illius motivi, non poterit non esse intentio, cuiusq; tandem materiali applicetur illud motivum, fundamentumq; esset id asserendi, ipsa unitas motivi.

INSTABIS 1. Intellectus quamvis sit indivisibilis potentia, tamen uno habitu non perficitur respectu omnium objectorum. Ergo etiam & habitus, licet sit simplex qualitas potest intendi respectu unius objecti, & non intendi respectu alius.

RESPONDETUR. Disparitatem esse quia in casu antecedentis habetur, unde desumatur pluralitas, nempe ex diversis formalibus motivis, quæ in presenti non haberetur.

INSTABIS 2. Habitus charitatis est simplex qualitas, & tamen inclinatur ad magis amandum Deum quam proximum. Ergo simplex qualitas, potest intendi magis respectu unius, quam alius objecti.

RESPONDETUR. Habitum charitatis respectu Dei inclinare ad amandum Deum magis appetitivè, quam proximum, sed non inclinatur quasi totam suam intensiorem etiam ad amandum propter Deum proximum, impendere non possit.

INSTABIS 3. Experimur magis pueros faciles esse ex habitu temperantiæ ut non comedant carnes feria sexta, quam ut ex eadem virtute temperent sibi à dulciariis &c. quamvis habitus temperantiæ, sit simplex qualitas. Ergo simplex qualitas, potest esse respectu unius objecti, magis intensè, quam respectu alius.

RESPONDETUR. Fieri potest ut qualitas simplex, respectu aliquorum objectorum magis facilius ex accidenti v. g. quia præsentatur aliquid minus difficile, & minus molestum; licet facilitas quantum est ex illa, æqualiter se ad utrumq; extendat. Sic calor facilius calefacit lignum siccum, quam humidum, quantumvis æquali intensiōe, in utrumq; agat. Defectus ergo ille facilitatis quæ non sentitur tunc, oritur ratione materiæ, non autem ex eo, quòd alia qualitas ad hoc, alia ad illud inclinet, ut communius in hac materia dici solet.

OBJICITUR 2. Si habitus ille qui habet unum formale motivum, esset simplex qualitas, habitus principiorum & scientiæ, esset unus idemque habitus.

RESPONDETUR. Negando Sequelam. Distinguentur autem habitus principiorum & scientiæ, quia principia in seipsis habent rationem assentiendi, scientiæ autem ob principia non ergo habetur idem motivum formale in utroque habitu.

OBJICITUR 3. Quæ referuntur ad idem objectum attributionis, non est necesse esse simplicem qualitatem. Ergo nec ea, quæ eidem immediatè motivo innituntur.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia ea quæ ad idem objectum attributionis referuntur, non habent connexionem eandem, nec habent eadem motiva immediata, huic enim objecto fit assensus; quia est causa, huic: quia est effectus. Jam autem in istis quæ habent idem formale, hæc diversitas non reperitur.

INSTABIS. Ergo saltem non universaliter scientiæ per objectum attributionis distinguuntur, sed etiam aliquæ distinguuntur per objectum formale, in omnibus actibus idem.

RESPONDETUR. Cum illud formale quale, ad nullam aliam scientiam sit revocandum, conveniet ei jam una formalitas objecti attributionis. Ex alia parte erit illic attributio omnium ad idem sed intransitivi, nihil enim melius attribuitur, quam idem ad seipsum. Attributio enim est de linea unius, cum etiam ad salvandam unitatem adhibeatur, nihil autem est magis unum, quam idem sibi. Quod si illi motivo sic defecto, conveniet ratio objecti attributionis, non erit mirum, quòd illud motivum, sit specificatum scientiam illam.

OBJICITUR 4. Si simplicitas scientiæ arguitur ex identitate motivi formalis, sequitur omnes scientias esse simplices qualitates, quia omnium idem tantum motivum est, quodlibet est aut non est.

RESPONDETUR. Conclusionem procedere de eodem immediato motivo, omnium actuum, dictum autem principium, non est nisi motivum mediatum, res autem non specificantur à mediatis & communibus, sicut nec ab ente communi, specificatur homo.

Obj-

OBJICITUR 5. Si scientia quaecunque posset esse simplex qualitas, intendi non posset, sed potest intendi. Ergo. Sequela probatur. Quia si simplex qualitas intenderetur, hoc ipso non esset simplex, sicut si unitati additur alia unitas, hoc ipso non est unitas.

RESPONDETUR. Negando Sequelam. Non enim dicimus illam scientiam fore simplicem qualitatem per exclusionem graduum, sed per exclusionem impotentiae, ad extendendum se, ad quaecunque illa scientia attingibilia.

ADDO. Quod non asseramus dari talem scientiam, sed quod si esset, simplex qualitas esset, idque titulo unitatis motivi formalis. Porro esset adhuc illa scientia simplex qualitas quantumvis respiceret diversam materialiter connexionem. Sic v. g. eadem simplex qualitas, inclinare potest ad assentiendum quod cauda gliris non sit major glire, & quod digitus non sit tantus, quantum totum corpus, nam utrobique idem est immediatum. Formale; nempe: Totum est majus sua parte. Sufficiet item simplex qualitas ut acquisito habitu hujus Conclusionis: homo est risibilis, expository inferas: Petrus est risibilis, Paulus est risibilis, quia ad has singulares idem erit motivum, nempe quia est rationalis. Identitas autem motivi formalis praeter alia spectanda est penes immediatam formalem connexionem, hinc v. g. alius habitus debet inclinare ad assensum huic conclusioni: quod rationale sit homo & alia, quod risibile sit homo. Quia ly homo, immediate connectitur cum rationali, cum risibili, mediante rationalitate. Ideo enim homo est risibilis, quia est mirativus, ideo mirativus, quia est rationalis. Sed si & unum sit motivum & connectio formalis eadem, tunc certe habitus utens illo motivo, simplex erit qualitas.

Punctum Difficultatis 3.

Decernitur de Scientia Simplicitate.

DICENDUM est. Nullam Scientiam totalem, ex iis quae dantur, esse simplicem qualitatem, ita Scotistae Suar. Hurtad. Arriaga. Citari enim solet S. Thom. 1. 2. q. 52. art. 1. & art. 2.

PROBATI. Hurtadus, si posset esse habitus simplex qualitas, tunc posset esse duo habitus contrarii aequè intensi sed hoc falsum est. Ergo. Sequela probatur posset esse in aliquo habitus, quod materia sit incorruptibilis, potest item esse habitus circa hanc conclusionem quod Coeli sint corruptibiles, qui habitus erunt contrarii, motiva enim illorum formalia, hoc est corruptibilitas & Incorruptibilitas sunt contraria. Ergo posset dari duo habitus contrarii & quidem simul, nam simplex qualitas tota simul acquiritur, poteruntque hi habitus esse aequè intensi, quia simplex qualitas non recipit majorem respectu unius, & minorem respectu alterius objecti intensionem.

RESPONDERI posset, quod ille habitus esset adhuc simplex qualitas, virtute tamen sua potens extendi ad cognitionem tam hujus quam illius objecti, sicut unus idemque intellectus, qui est simplex qualitas, id facit.

PROBATUR 2. Quia nulla de facto scientia utitur motivo non nisi uno; non ergo sumet ab unitate motivi, rationem simplicis qualitatis. Nulla item scientia quae de facto datur, habet se per modum potentiae, ut se habet habitus fidei, qui supponitur esse simplex qualitas. Ergo non est fundamentum dicendi, quod de facto detur scientia, quae sit simplex qualitas.

PROBATUR 3. Experientia. Experimur nos difficultatem subire in eliciendis aliquibus actibus intra scientiam, quantumvis jam ad alios eliciendos simus faciles. Ergo apparet habitum non contrahi, frequentatione unius actus, neque illum esse simplicem qualitatem.

RESPONDERI posset. Hanc difficultatem esse ex difficultate materiae, specierum diversitate, sed haec aliàs refutabuntur.

CONFIRMATUR. Si scientia totalis esset simplex qualitas, daretur effectus ante suam causam, sed non potest dari effectus ante suam causam. Ergo. Sequela probatur. Esse habitum ante actus elicitos, est esse effectum ante causam, quia ab actibus suo modo, de quo aliàs, causantur habitus. Sed si scientia esset simplex qualitas, daretur habitus ante actus elicitos. Quod ipsum probatur. Ponamus elici unum actum Logicum, hoc ipso acquireretur habitus Logice totus, quia simplex qualitas, per partes acquiri non potest, & tamen quando elicitur unus actus ut supponitur, nondum sunt alii actus Logici. Ergo dabitur habitus, ante actus elicitos.

RESPONDETUR 1. Habitum qui producitur uno actu, non inclinare ad diversos actus, ab eo, à quo est productus, nisi ei addatur novus quidam modus, quo posito tum primum diversos actus à primo eliciet. Quod si novus tantum modus producitur, non producitur jam novus habitus, sed tantum perficitur.

CONTRA. Ergo saltem ex illa qualitate, & illo novo modo, non constitueretur simplex qualitas, erit enim divisibilitas, etiam existentiarum. Quod si admittis non esse simplicem qualitatem, conjunctum illud ex habitu, & modo illo de novo acquisito, consequenter admittere debes etiam illam scientiam non fore simplicem qualitatem; quia ille novus modus, nullo distinguetur ab ipso met habitu, quo enim? Hinc si conflatum ex habitu & illo modo, non est simplex qualitas, nec erit simplex qualitas habitus ille.

RESPONDEBIS 2. Posita acquisitione habitus per unum actum, non reddimur faciles ad alios actus diversos: quia defunt habitus in aliis potentiis, qui faciliunt ad apprehensionem Terminorum.

CONTRA. Tum quia primam difficultatem, quam experimur in noscendis scientificè objectis, non rejici merè in defectum v. g. apprehensionum. Ergo & posteriores difficultates, non debes rejicere. Tum quia potest haberi facilitas in apprehensionibus terminorum, & esse difficultas in ipsis assensibus. Tum quia dicam elicitò uno actu scientifico, omnes scientias acquiri, & solum esse difficultatem, in apprehensione terminorum.

RESPONDEBIS 3. Posse referri facilitatem novam, idque ad diversos actus, in intensionem ejusdem habitus.

CONTRA. Quia intelligibile quidem est, elicitò uno actu, alium similem, fieri postea intensiorè, idque ratione intensionis in habitu reperibilis, non est tamen intelligibile, quod conferat intensio, ad eliciendum actum specie distinctum.

OBJICITUR 1. Logica est una scientia. Ergo unus habitus, est una qualitas: una qualitas, est simplex qualitas. Ergo à primo ad ultimum, Logica, est simplex qualitas. Consequenter & alia scientia.

RESPONDETUR. Logicam esse unam scientiam per attributionem ad unum objectum, non per indivisionem ejusdem qualitatis.

OBJICITUR 2. Una potentia sufficit ad actus plures specie. Ergo & unus habitus, cum debeat proportionari potentia.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia potentia non nascitur ex suppositione actuum, sicut scientia habitualis, ex quarum jam suppositione non nasceretur, si posito uno actu, acquireretur tota. Ut autem proportionentur inter se scientia, & intellectus: sufficit proportio in ratione Entis spiritualis, proportio in ratione attingentia talis objecti, proportio in modo attingendi &c.

INSTABIS. Una est justitia, & tamen est complexio omnium virtutum. Ergo & una simplex qualitas scientia, poterit idem facere.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Nam justitia sumpta pro complexione virtutum, sunt plures distinctae omnino virtutes.

OBJICITUR 3. Scientia totalis si esset quid aggregatum ex pluribus partialibus habitibus specie distinctis, vel fieret hoc augmentum extensivum per actus solo numero distinctos, & sic habitus nunquā posset inclinare ad actus specie distinctos, non etiam per actus specie distinctos, quia actus specie distinctus, nō potest intendere habitum, inclinante ad actum, specie distinctum.

RESPONDETUR. Quod partes extensivae habitus, producantur ab actibus specie distinctis. Gradus verò intensionis ab actibus numero distinctis.

INSTABIS. Aqua extenditur non nisi additione alius guttae numero distinctae, quantitas item extenditur, mole solo numero distincta.

Ergo & habitus extendi potest, ab actibus, solo numero distinctis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia sunt aliqua augmenta, quae nata sunt idem in specie facere, quod faciunt ea, quae praecesserunt, aut saltē nata sunt intendere vires ad producendum simile omnino. Sic v. g. secundus gradus caloris, additus primo, natus est ad id faciendum, quod facit primus hoc est ad calefaciendum, cum hoc solo discrimine, quod junctus gradus primus secundo, habeat jam vires majores ad calefaciendum; & talia augmenta dico fieri per gradus eosdem specie, & solo numero distinctos; alia augmenta sunt talia, quae non sunt nata ad id producendum, quod produciunt praecedentia, ut v. g. piper additum croco non est natum ad id faciendum quod faceret solus crocus, & tale augmentum dico fieri per specie distincta, quia autem in scientiis, una pars habitus, non potest facere id, quod facit alia pars habitus, ideo augmentum scientiarum debet fieri per habitus partiales, distinctos specie.

OBJICITUR 4. Si scientia totalis non esset simplex qualitas, possent dari duae formae oppositae, simul in eodem subiecto, & quae intensae. Hoc non potest dici, aliās posset esse etiam idem ferrum calidum in summo, & frigidum in summo. Ergo. Probat Major. Posset dari habitus de objecto, & posset dari habitus de ejus opposito, idque & quae intensus. Ergo possent dari duae formae oppositae &c.

RESPONDETUR. Negando. Majorem & Probationis ejus Consequentiam. Ratio negandi est, quia habitus de objecto, & habitus de opposito objecti, non sunt formae oppositae, cum ad idem objectum attributionis revocentur, adeoque ad idem suo modo specificativum, quantumvis ipsa objecta materialiter accepta, sint revera opposita, sed forma opposita v. g. scientia de objecto, est error de objecto. Si ergo daretur & quae intensus habitus scientiae de objecto, & & quae intensus habitus erroris de eodem, tunc primum darentur duae formae oppositae, quod nos non asserimus.

OBJICITUR 5. Scientia est qualitas, qualitas est simplex. Ergo & scientia est simplex.

RESPONDETUR. Quod scientia partialiter accepta sit qualitas, jam autem totaliter accepta, est aggregatum ex qualitatibus.

NOTO. Si Deus infunderet habitum scientiae, consimilem speciebus universalibus, quales in perfectiorum Angelorum intellectibus admittuntur, in tali casu illa scientia, quantumvis ex diversis motivis formalibus procederet, posset esse simplex qualitas. Ratio quia nec in suo produci, praesupponeret diversos specie actus, nec repugnat simplicem qualitatem, vel si maxime potentiam, procedere ex diversis motivis.

DIFFL.

DIFFICULTAS VII.

Notantur quædam de Scientia in Comuni.

NO T O 1. *Quomodo comparari possit Scientia cum aliis habitibus intellectualibus.* Indubie si comparatur cum errore opposito, comparabitur tanquam perfectio, cum defectu, malum cum bono, si comparatur cum opinione, comparabitur tanquam perfectum cum imperfectiori, cum imperfectiori inquam, quia melior est scientia quam opinio magisque perfectiva intellectus, quia est consecutio finis, ad quem ordinatur intellectus, nempe perceptionem veri, quam perceptionem formalem veri, non habet opinio, quia tamen melius est opinari quam errare, quia errare, est simpliciter recedere a vero, secus opinari. Hinc comparatio scientiæ ad opinionem, est comparatio perfectioris ad imperfectius. Comparatio autem scientiæ ad errorem erit comparatio ad oppositum. Non nego tamen imperfectionem in opinione ita imbibitam esse. Ut ab ea separari non possit; hinc in Deo nunquam à Theologis ponitur opinio, utpote aliquid essentialiter imperfectum.

NO T O 2. *Quæ sit comparatio inter intellectum & scientiam.* Si comparatur scientia ad intellectum, comparabitur tanquam aliquid perfectum ad perfectius, perfectior enim est intellectus. Nam objectum illius est intelligibile, vel verum ut sic, jam autem objectum scientiæ, est tale intelligibile, tale verum, adeoque reliquæ scientiæ, habent participatum bonum, bonum autem quod spectat ad intellectum, est bonum quod participatur. Melius autem quia universalius est bonum participatum quam bonum participans, (supple inadæquate.) Deinde potentia melior est suis actibus, jam autem scientiæ actuales, comparantur ad intellectum, sicut actus ad potentiam. Scientiæ autem habituales, comparantur ad intellectum, sicut perfectiones exigite & principiatæ à sua radice, quas sibi comparat ipsa radix, radix autem in talibus est melior, quemadmodum melior est ignis, quam calor. Non nego tamen, quod præcisè in prædicato actus melior sit actus, præ potentia.

NO T O 3. *Quæ sit comparatio scientiæ ad fidem divinam.* Si comparatur scientia cum fide divina, comparabitur tanquam imperfectius ad perfectius, licet enim careat fides evidentia, quæ est quædam perfectio linearum intelligendi, carentia tamen huius perfectionis, non deiecit fidem à gradu excedendi scientiam, tam ex eo, quia id supplet alio prædicato, nempe tanto excessu certitudinis, quam ex eo, quia evidentia ordinatur ad certitudinem, ut supposuimus in ante, si ergo habeatur aliunde hæc certitudo, non erit jam necessaria illa evidentia, defectusque illius, non arguet imperfectionem.

NO T O 4. *Quæ sit comparatio scientiæ ad fidem*

humanam. Si comparatur scientia cum fide humana, comparabitur tanquam perfectius ad longè imperfectius, quia evidentia & certitudo, sunt perfectiones linearum noscendi, & quidem nullam dicentes imperfectionem, hinc & in Deo reperiuntur, fit ut defectus harum perfectionum, in fide humana, isque nulla perfectione alia suppletus, arguit imperfectionem.

NO T O 5. *Quæ sit comparatio scientiæ ad sapientiam.* Si comparatur scientia ad sapientiam, comparabitur tanquam particulare ad universalius, nam scientia non debet procedere, per causas altissimas & universalissimas: secus sapientia.

NO T O 6. *Quæ sit comparatio scientiæ ad visionem beatam.* Si comparatur scientia cum visione beata, comparabitur tanquam perfectum ad perfectissimum, nam evidentia & certitudo visionis beatæ, sunt longè majores, quam certitudo & evidentia Demonstrationis, quod Deus sit. Universaliter autem, quando aliqua perfecta sunt, ex convenientia talium prædicatorum, si aliud, dicta prædicata perfectius habeat, hoc ipso perfectius erit, idque ostendit inductio, & ita, quia homo ex eo habet perfectionem, quod intellectivus sit, cum Deus sit supremum & perfectissimum intellectivum, perfectissimè excedet hominem, hocque ipso non ex illis prædicatis sumeretur perfectio, si dato excessu in illis prædicatis, non daretur excessus perfectionis. Et quia ex eo est perfecta scientia, quia est notitia certa & evidens, cum certitudinem & evidentiam longè perfectius participet, visio Dei, hoc ipso perfectior erit.

NO T O 7. *Quæ sit comparatio scientiæ creatæ ad increatam.* Sed hanc adumbratam habebis, ubi in Animasticis tractatur de distinctione Verbi mentis creati à Verbo mentis increato.

QUÆSTIO II.

De Divisione Scientiæ.

A ttingemus imprimis divisiones communes.

DIFFICULTAS I.

Di-visio in communis Scientiarum.

Mitto divisionem scientiarum quas solemus Deo attribuere, quia hæc explicantur in prima parte, attingemus divisiones alias.

DIVIDITUR imprimis scientia in Actualem & Habitualement. Actualis est ipse actus scientificus. Habitualis est facilitas & inclinatio ad similes actus scientificos, iis à quibus hæc facilitas producta.

DIVIDITUR utraque in Mediatam & Immediatam. Immediata est, quæ sine discursu habetur, saltem formali. Mediata cum discursu.

† Bb 3

DIVI-

DIVIDITUR rursus utraque in Intuitivam, quæ ita noscit objectum sicuti est, & abstractivam, vi cuius attingitur unum, non attacto alio.

DIVIDITUR item in Totalem & Partialem. Totalis est quæ attingit omnem scibilitatem talis objecti, cum Partialis attingat nonnisi partiale objectum.

DIVIDITUR item scientia. In scientiam Comprehensivam, qua cognoscitur res quantum cognoscibilis est. Et quidditativam, quæ proprium conceptum de Deo v. g. format, coinciditque cum scientia, Intuitiva, per multos.

DIVIDUNTUR scientiæ divisione celebri in scientiam Practicam & Speculativam. Subalternantem & subalternatam. Hæ divisiones pensculatius hinc examinandæ.

DIFFICULTAS II.

De Divisione Scientiæ in Practicam & Speculativam.

In harum scientiarum explicatione divisi sunt Authores. Ut Status quæstionis penetraretur, tenendum est, quod nomine Practici veniat actus vel habitus opus respiciens, objectum verò istius actus vel habitus vocatur Praxis, quod objectum debet esse operatio aliqua. Praxis enim significat actionem. *Sic*

Punctum Difficultatis 1.

Rejiciuntur modi quidam explicandi Praxim & Practicum.

ExPLICANT I. Scotistæ Praxim: quod sit actus alterius potentie ab intellectu naturaliter posteriori intellectione, natus elici conformiter rectæ rationi ad hoc ut sit rectus. Consequenter negant Scotistæ quod operationes intellectus possint esse praxes, licet id affirmet de actibus voluntatis. Eandem doctrinam modificat Maftrius disp. 12. Log. part. 5. art. 5. & docet nullum actum intellectus, imò nec ullum alium esse praxim, si præcedat voluntatis imperium, quantumvis posito imperio possit esse praxis. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. ex Suarez disp. 44. Metaph. sec. 13. Actus intellectus dirigens actus voluntatis, ut recte fiant in suo ordine, est practicus. Ergo & actus intellectus dirigens alium actum intellectus est practicus. Quod ipsum in hoc resolvitur, quia actus intellectus dirigens alium actum intellectus, non comparatur ad illum tanquam ad aliquod speculativum, non enim sistit in sola veritatis speculatione. Ergo comparabitur ad illum, ut actus practicus ad praxim.

NON SATISFACIT 2. Operatio quatenus dirigibilis moraliter, hoc est, quatenus dirigibilis per regulas prudentiæ, potest esse praxis,

prudentia enim est virtus practica, estque virtus intellectus. Ergo & operatio intellectus, quatenus dirigibilis artificialiter, potest esse praxis, potest autem dirigi artificialiter v. g. à Logica.

NON SATISFACIT 3. Actus intellectus, post imperium voluntatis potest esse practicus, sed non quocumque modo post actum voluntatis positi, neque enim omnis sequela actus intellectus post actum voluntatis arguit rationem practici, cum possit voluntas imperare etiam speculationem, sed tunc intellectus induit cum illa sequela rationem practici, quando præscribit certum ordinem & methodum operandi. Hæc autem methodus præscribi potest, ante actum voluntatis. Et certè datur quæcunque forma constitutiva Praxeos & Practici, illa quædrabit actibus intellectus aliquibus, etiam si non sequantur imperium voluntatis.

DICES 1. In oppositum esse auctoritatem.

1. AUCTORITAS est Aristotelis. Tercio de Anima cap. 10. tex. 50. Intellectus extensione fit Practicus.

RESPONDETUR. Tot Capita illo libro non reperiri, sed retinendo auctoritatem hujus dicti quod usurpatur tanquam axioma. Explicari sic posset. Intellectus extensione fit practicus, non quidem extensione ad actum alius à se potentie, sed extensione ejusmodi. Quia scilicet actus ille qui dirigit non est praxis, sed extendi debet ad alium, à se entitative actum, quem dirigit. Deinde tunc res aliqua extendi dicitur, quando limites suos & terminos quos potest, attingit, arctatur enim, si illos non attingat. Limites autem intellectus sunt veritas, seu intelligibilitas objectorum, & quidem proximior, si solum speculetur veritatem, remotior si etiam se ipsum dirigit, si ergo intellectus non coarctetur se ad hoc, ut solum speculetur veritatem, sed procedat usque ad directionem suæ vel alijs operationis, hoc ipso extendet sese.

2. AUCTORITAS S. Thomæ 1. 2. q. 57. art. 1. ad 1. Practicum dicitur sumi ab operatione exteriori, cum tamen actus intellectus nunquam possit esse nisi immanens, adeoque non potest esse quid exterius, adeoque nec potest esse practicus.

RESPONDETUR. Si verba S. Thom. sumantur ut sonant, probabunt etiam actum voluntatis non posse esse praxim, nam neque hinc est quid exterius. Solum ergo S. Doctor intellexit Practicum, debere esse quid externum, hoc est condistinctum ab actu, à quo dirigitur.

DICES 2. Cum Capreolo. Operatio quævis in tantum est praxis, in quantum subest electioni voluntatis ut innuit Aristotel. 6. Metaph. cap. 1. At nihil subest electioni voluntatis, nisi in quantum est moraliter dirigibile. Ergo omnis praxis, debet esse moraliter dirigibilis unde etiam ipse Aristoteles 6. Eth. cap. 3. & 6. Scientiam practicam nonnisi in ordine ad voluntatem explicat.

RESPON-

RESPONDETUR. Praxim ita ex Aristotele & aliis explicari tanquam per aliquid notius, non autem quali in hoc solo stet.

DICES 3. Si actus intellectus potest esse praxis, sequitur quamcunque speculationem, esse praxim.

RESPONDETUR. Negando sequelam, si enim sistatur in sola veritatis attractione, non potest esse talis Actus practicus, si tamen aliquis actus intellectus fiat ex regulatione alijs actus, ille actus poterit esse praxis.

DICES 4. cum Mastro. Cognitio quæ potius vera vel falsa est, non bona vel mala dicitur, non potest esse praxis. Sed omnis operatio intellectus ante imperium voluntatis elicitur, dicitur potius vera vel falsa, & non bona vel mala. Ergo talis Operatio non potest esse praxis. Major probatur. Quod potius verum vel falsum est, & non bonum vel malum, illud potius est speculabile: ad speculationem enim veritas vel falsitas pertinet. Sed nullum speculabile est praxis. Ergo & nullum est praxis, quod potius verum vel falsum dicitur, & non bonum vel malum. Minor principalis probatur. Ad voluntatem spectat bonum vel malum. Ergo ante voluntatis imperium, nihil est bonum vel malum.

RESPONDETUR imprimis negando Majorem. Ad speculationem enim veritas vel falsitas pertinent, in quantum hæc ipsa non ordinantur nec regulantur ab alio actu, secus si regulentur. Minor etiam non concludit, quia rectitudo orta ex regulis ad agendum præscriptis, quæ est aliqua bonitas, spectat etiam ad intellectum, licet bonitas moralis, imputabilis ad laudem vel vituperium, potius spectet ad voluntatem.

DICES 5. cum eodem. Cognitio directa prout cognitio est, spectat ad genus speculationis, intendit enim attingere veritatem objecti. Ergo etiam ut directa, non spectat ad praxim.

RESPONDETUR. Quod attingentia veritatis ut sic, non dicat sistentiam in illa veritate, adeoque speculationem, sed dicit aliquid commune ad speculationem & praxim. Et licet cognitio quæ simpliciter attingit veritatem objecti, ad praxim non spectet, spectat tamen ad praxim notitia, quæ attingit veritatem objecti, præscribendo regulas illam attingendi, & modum versandi circa objectum. Deinde videtur hic committi fallacia accidentis, quia quamvis dicatur non convenire id cognitioni, quæ cognitio est, non sequitur, quod ei non conveniat quæ directa, & tamen arguens ab eo quod non convenit cognitioni, quæ cognitio est, arguit non convenire ei quæ directa.

EXPLICANT 2. Alii praxim per hoc, quod debeat esse opus liberum. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT ex iis quæ immediate sunt allata, contra priorem

CONFIRMATUR ex Arriaga, quia hæc sen-

tentia supponit, quod praxis involvat ut circa illud objectum errare possit voluntas, hoc autem non convincit: nam Angelus non potest errare in motu cælorum, & tamen ille motus, est paxis, habetque de illo Angelus cognitionem practicam, cognitio boni in communi potest esse practica, itemque visio beatifica; & tamen & cognitionem boni in communi, & Visionem beatam, sequitur actus amoris necessarius &c. sed de hoc etiam infra.

DICES. Si ad rationem praxis non requiritur esse liberam. Ergo & Operationes brutorum poterunt esse praxes.

RESPONDETUR. Negando sequelam, quia id quod est proprie praxis, debet esse factum ex directione intellectus, & cum præscriptione regularum agendi, hoc autem non convenit brutis.

Punctum Difficultatis 2.

Rejiciuntur alii modi idem explicandi.

EXPLICANT 3. Thomistæ. Quod praxis importet compositionem cum materia & forma. Speculatio verò resolvit conclusiones in principia. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia nomine hujus compositionis cum materia & forma, vel intelligitur materia & forma physica vel intentionalis, si intelligitur materia & forma physica: Ergo nulla jam dabitur scientia practica, quia nulla componit materiam & formam physicam, sed solum est cognitio compositionis materiae & formæ physicae, quæ ipsa cognitio compositionis, non est compositio. Et si importare compositionem cum materia & forma physica: per te, sit cognoscere hanc compositionem, per te etiam Metaphysica erit practica, quia hanc compositionem, modo suæ scibilitati debito, attingit. Quod si ad rationem praxis sufficit compositio cum materia & forma intentionali, omnes scientiæ erunt practicae, quia omnes habent pro objecto, compositionem cum materia intentionali, hoc est, cum objecto materiali, ordinato ad formale, tanquam ad formam.

NON SATISFACIT 2. Quia scientia simplicis intelligentiæ de possibilitate Angelica, est practica, & tamen pro objecto non habet compositionem materiae cum forma, hanc enim excludit spiritualitas Angeli. E contra etiam practica scientia resolvitur in sua principia, & tamen adhuc est practica. Imò & omnis cognitio mechanica resolvitur in principia artis, quæ resolutio facta ab ipsamet arte, non arguit in illa ipsa speculationem.

NON SATISFACIT 3. Quia non repugnat importari à notitia speculativa compositionem cum materia & forma, & aliquid practicum resolvere conclusionem practicam, in principia

practica. Ergo nec praxis per compositionem, nec speculatio per resolutionem rectè definitur, & certè resolutio illa deberet esse conclusionis non practicae sed speculativæ, de quo ipso quæritur per quid constituatur illa conclusio in ratione speculativæ.

EXPLICAT 4. Arriaga Cognitio practica est, quæ natura sua ordinatur ad sui objecti effectum, ordinari autem ad sui objecti effectum, est, habere objectum factibile à cognoscente, ut tali, idque nondum existens. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Sumo hæc omnia, & quæro: quid sit habere objectum factibile à cognoscente ut tali.

NON SATISFACIT 2. Accipio hanc demonstrationem metaphysicam, qua advertitur quod amoris sit nexus cum bono & sic habet. Omne bonum est amabile. Deus est bonus. Ergo Deus est amabilis. Et quæro, quare hæc demonstratio in Metaphysica sit speculativa, & eadem materialiter demonstratio, in quantum est ab Ethico sit practica, & movens ad amandum Deum.

NON SATISFACIT 3. Quia tota hæc explicatio aut non explicat in quo est difficultas, ut non explicat: quid sit iste cognoscens ut talis? aut diminutam tradit doctrinam: nam quæreretur quid implicet ut versetur cognitio cæteroqui practica, circa objectum jam existens: nam licet circa jam existens non detur deliberatio, tamen potest existens esse objectum, ex quo procedatur de deliberatione circa futurum; ita, licet jam existens, non possit esse objectum cognitionis practicae, ut illud faciat existere, potest tamen esse objectum cognitionis practicae hoc sensu: quia scilicet non sistetur in sola illius objecti veritate: sed ordinabitur illa cognitio, ad similes objecti v.g. argumenti effectum.

EXPLICAT 5. Oviedo. Cognitio practica est, quæ ex se ordinatur ad praxim, ordinari autem ad praxim est esse cognitionem, quæ proponit objectum non quomodocunque, sed ita, ut ex vi illius, possit voluntas imperare ipsius objecti executionem, potentia huic, cui incumbit talis objecti productio. Et ita cognitio quæ noscit artifex ligna vel lapides, sic vel sic esse collocandos; proponit operationi, eo modo objectum, ut ex vi ipsius cognitionis, possit artifex elicere actum voluntatis, qui imperet potentia executrici, talem vel talem lignorum constructionem. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia sumptis his omnibus, quæreretur, quod signum sit istius; quando scilicet ex vi cognitionis potest imperari vel non, executio.

NON SATISFACIT 2. Quia quæreretur: stat: cur demonstratio de Dei amabilitate supra relata, Metaphysico non proponat ob-

jectum, ita, ut ex vi illius cognitionis, possit voluntas imperare ipsius objecti executionem, possit autem Ethico.

NON SATISFACIT 3. Quia non implicat aliquid esse praxim, quamvis ad illud voluntas non se extendat, nam ratio praxis in voluntate non stat, ut dictum, potestque unus actus intellectus regulare alium, & independentem à voluntate ponere illum, qui tamen verè adhuc possit esse practicus; Et ex altera parte potest esse aliquid speculatio, quamvis ita proponatur objectum, ut ex vi illius possit voluntas imperare ipsius objecti executionem, & tamen ille actus non esse praxis. Certè enim præmissæ conclusionis, respectu inferendæ consequentiæ, ita proponunt objectum, ut ex vi illarum, potentia intellectiva progrediatur ad conclusionem inferendam, voluntasque illam imperare possit, & tamen præmissæ respectu conclusionis, non sunt practicae; alias etiam Metaphysica esset practica, habet enim præmissas respicientes conclusionem.

Punctum Difficultatis 3.

Explicatur ratio Practici & Praxis.

ARISTOTELES 1. Metaph. cap. 1. docet speculationem esse quæ sistit in gratia sui seu gratia objecti. *Ex quo jam*

EXPLICATUR speculativum, idque etiam attendendo ad 2. Metaph. tex. 3. ubi dicit: *Speculativæ etenim finis veritas. Practica autem opus.* Speculativum illud est: quod sistit in sola contemplatione objecti, considerando ejus causas, effectus, proprietates, solum in veritate contemplanda sistendo. Practicum autem illud est, quod respicit opus, quæ operabile, adeoque non sistit in sola contemplatione objecti. Et sic demonstratio illa de Dei amabilitate si consideretur à Metaphysico erit speculativa, quia sistet in sola contemplatione objecti. Practica autem in Ethico; quia non sistit in sola veritatis illius contemplatione, sed ulterius imperat opus seu operationem, hoc est amorem. Quod autem aliqua in particulari scientia sistat in ipsa speculatione objecti, hoc inde colligendum est, si enim reliquis in objecto circumscriptis & impossibilibus redditis, solaque speculatione veritatis in illo objecto contentæ relicta, tamen maneat invariata ratio, primo & per se intenta, in versando circa illud objectum, ab illo habitu seu scientia, jam hoc ipso illa scientia, censetur esse speculativa; illa verò in particulari scientia censetur esse practica, quæ relicta tota speculatione objecti, variabitur ex hoc solo, si illi non sit integrum procedere ad opus, jam illa scientia, & erit & dicetur practica. Atque ita cognitio illa Metaphysica de Dei amabilitate est spe-

est speculativa, quia impossibili amore adhuc in illa demonstratione habebit à se intentum finem Metaphysica hoc est veritatem. Impossibili verò amore non haberet Ethica finem intentum in illa demonstratione; quia intendit regulationem amoris. Porro finis intentus à scientia ex duobus pensari debet: scilicet ex necessitate talis habitus ad perficiendum intellectum: si enim illo habitu indigeat intellectus, ut possit præscribere modum rectè attingendi objecta, censetur ille habitus, non sistere in speculatione sui objecti. Pensari item debet, an aliquis habitus sit practicus ex principio negativo, si enim potest aliquid sistere non in speculatione, sed ordinari ad opus, tenendum erit illud ordinari, quia aliàs dignificarentur Entia sine necessitate, ponerenturque omnes habitus in digniori serie, nempe speculatione, sine necessitate.

Notò hic, quænam sint Conditiones practici habitus, sunt enim hæc 1. ut respiciat objectum agibile. Ratio, quia practicum debet aliquid ponere in actu, quod autem agibile non est, non potest poni in actu. 2. Debet esse operabile ex vi notitiæ, non verò tantum ex vi principiorum naturalium. Ratio quia aliàs: Cognitio nutritionis, esset cognitio practica, quantumvis nutritio non ex vi illius notitiæ ponatur. 3. Debet versari circa illud objectum notitia practica, operabili modo: operabili autem modo versari ex Suarez disp. 54. sec. 13. est, vel elicere ipsum actum, qui est praxis, sicut temperantia elicit abstinentiam, vel certè actum dirigendo & regulando, quod ipsum dirigere vel regulare opus, fit dupliciter vel formaliter, ut cum dicit Architectonica: tale vel tale fundamentum ponito, ut sit bonum ædificium, vel dirigere æquivalenter, ut cum dicit Architectonica: Omne firmum ædificium tali vel tali debet niti fundamento, quod dictum æquivaleret huic: Pone tale fundamentum.

Cæterum notitia practica, quamvis versetur circa Agibile, est contenta, quod consistit prædicato practicali seu agibili quamvis non subiecto. Ratio, quia sicut propositio est contingens, quæ prædicatū habet contingens, quamvis subiectum non sit contingens, qualis hæc est propositio: homo est albus, homo enim non est quid contingens licet albedo sit contingens. Ergo & notitia erit practica, quæ habebit prædicatum practicum, qualis est v.g. hæc Deus est amandus, ubi Ly amandus est quid agibile. Deus verò ipse, non est agibilis. Quanquam quantumvis practica cognitionis debeat esse objectum operabile seu praxis, ipsius tamen praxeos non est necesse objectum esse operabile sic v.g. objectum practica cognitionis imperantis amorem Dei, est objectum operabile, hoc est amor Dei, sed objectum ipsius amoris, hoc est Deus, non est quid operabile. *Ex dictis*

INFERES 1. *Quare cognitio Dei de peccato commissio non sit practica.* Licet enim quodam modo Deus dirigatur illa, ad infligendam penam, quia tamen ex accidenti est, quod dirigatur Deus ad infligendam penam, nam etiam si Deus non decrevisset punire peccata (cum illa Deo liberum sit punire) mansisset tamen in Deo cognitio de peccatis, quia æquè esset Omnis. Quod si mansisset eadem cognitio Dei etiam si non direxisset Deum ad puniendum peccatum, apparet per accidens esse illi cognitioni, dictam directionem; si autem per accidens est huic cognitioni ista directio, certè jam per se non erit practica, ea enim quæ sunt per accidens, non immutant naturam Actus, quæ importat esse per se.

INFERES 2. *Præmissas respectu Conclusionis non esse quid practicum.*

RATIO. Quia conclusio respectu præmissarum, neque est objectum agibile physice, unus enim actus non producit alium physice, nec etiam conclusio respectu præmissarum est objectum agibile moraliter, nam imprimis moralitatis ea censentur capacia, quæ sunt libera, quod non competit conclusioni. Deinde quia potius intendunt præmissæ determinare ipsum intellectum ut formet conclusionem, non autè immediatè respiciunt ipsum opus, quod est conclusio. Adde ex principio hoc, quia practicum debet habere pro objecto aliquid agibile, sequi, quod præmissæ per ordinem ad conclusionem non sint practica, quia conclusio non est objectum præmissarum, sed illud, de quo illæ præmissæ procedunt.

INFERES 4. *Quod Cognitio præcedens actum amoris necessarium, non sit practica,* quia nihil refert illi cognitioni, quod sequatur ex illa amor, totaque illius essentia & finis intentus, salvari potest, quantumvis non sequatur amor; e contra cognitio Dei de creaturis effectibilibus, est practica, non enim ex accidenti illi est dirigere Deum in effectiōne creaturarum, hinc si impossibiles essent creaturæ, neque Deus scientiam de producibilitate illarum habuisset.

INFERES 5. *Quod Cognitio quam habet Petrus v.g. de Angelo producendo, quantumvis Deus illi communicaret vim producendi Angelum adhuc per se esse, speculativa, & non nisi per accidens practica.*

RATIO. Quia quamvis Petrus hac cognitione dirigeretur in illa productione; adhuc tamen illa cognitio posset esse in illo salva, quamvis non haberet vim producendi Angelum. Ergo apparet hanc directionem, per accidens esse illi cognitioni. E contra cognitio in Medico, quæ Medicus est, licet intentio illius non referat cognitionem aliquam ad praxim, adhuc est practica; quia ex accidenti est, quod non referat ad opus illam cognitionem: cum cognitio in Medico, quæ Medicus est, natura sua pertinet

tat referri ad opus, hocq; inde est ex dictis, quia relictis omnibus speculationibus de objecto medicinæ, & sublata illius ad opus, hoc est ad sanativitatem, intentione, hoc ipso non erit hæc, sed alia specie medicina. Dixi hanc cognitionem in Medico qua Medicus est esse practicam, quia fieri potest, ut habeat cognitionem de sanitate, non ex habitu medicinæ, sed ex habitu Physicæ, quæ est speculativa.

Punctum Difficultatis 4.

Satis sit quaestus aliquibus.

QUÆRITUR 1. *An Divisio in Practicum & Speculativum sit in membra contradictoriè opposita, saltem illativè.*

CONFIRMATUR. Quia sistere in sola speculatione objecti, quod est speculativi; & non sistere in sola speculatione objecti, quod saltem illativè competit, practico, sunt membra contradictoriè opposita.

QUÆRES 2. *An possit idem habitus esse practicus & speculativus?*

POTEST. Ratio, quia si idem indivisibilis intellectus potest esse principium actuum speculativorum & practicum: cur non idem poterit esse in scientia totali, quæ supponitur esse aggregatum ex pluribus partialibus habitibus.

QUÆRES 3. *An possit esse idem actus practicus & speculativus?*

POTEST. Ratio, quia una eademque cognitio, qua Deus se & creaturas cognoscit respectu Dei est speculativa, respectu creaturarum practica, nec ulla in hoc est implicantia habent se enim speculativum & practicum, sicut sensitivum & intellectuale. Porro sicut sensitivum tantum, non potest simul reperiri cum intellectu tantum, cum unum dicat vel inferat negationem alius; licet sensitivum & intellectuale simpliciter, possint secum conjungi, ut conjunguntur in homine, sic & speculativum tantum, nunquam potest esse practicum tantum, secus sine hac restrictione.

QUÆRITUR 4. *Unde desumenda sit differentia inter Practicum & Speculativum.*

EXPLICANT 1. Aliqui. Quod practicum habeat pro objecto opus. Speculativum autem procedit de re non operabili à nobis. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Quia potest rei operabilis, solum veritas investigari, ita ut in illa sola sistatur. Ergo falsum est quod operabile, non possit esse objectum speculativi. Et sicut de probabili potest dari scientia, quia demonstrabile est ex medio probabili, non posse sequi scientificum assensum, ita & de operabili, potest esse speculatio.

EXPLICAT 2. Soncinas Javellus Vasq. 1. parte disp. 8. cap. 5. Practicum desumi non solum ab operabili objecto, sed etiam ab intentione discantis. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia intentio, quæ ordinat physicam ad discendam medicinam, & postea practicandam, non facit physicam practicam. Ergo neque etiam intentio non practicandi habitum, qui est practicus, faciet illum speculativum.

NON SATISFACIT 2. Quia sequeretur nullam scientiam esse determinatè de se practicam, nullam determinatè speculativam. Siquidem determinatio practici vel speculativi, pendet ab intentione discantis.

NON SATISFACIT 3. Quia hæc intentio videtur jam accedere & præsupponere objectum, modum item versandi circa objectum, nexumque cum objecto. Ergo supponit jam & non adfert rationem practici vel speculativi. Et sicut Sacramenta non sunt practica ex intentione suscipientis vel conscientis illa, nam non est necesse ut Sacerdos dum v.g. absolvit, intendat producere gratiam sanctificantem, sed hæc ratio practici signi, supponitur in Sacramentis; ita supponitur speculatio vel praxis intentioni discantis, illamq; præcedet. Unde quando Philosophi communiter docent, quod ratio practici vel speculativi desumatur ex fine, accipiendum est dictum illorum, de fine intrinseco non extrinseco, hoc est intentione discantis.

EXPLICAT 3. Arriaga, quod hæc differant ex subjecto specie distincto, ita ut si unum subiectum possit ex specie & natura sua facere aliquid, & aliud non possit, hoc ipso cognitiones illæ distinguantur. Sic v.g. cognitio, quam habet Deus de Angelo, quem potest facere, est practica, speculativa verò, quam ego habeo, de eodem objecto. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Scientia in communi. Ergo nec scientiæ tales, sument speciem ex tali specie subiecto.

NON SATISFACIT 2. Quia eadem specie qualitas potest esse in diversis specie subiectis, nec diversificatur ex subiecto. Ergo idem dicendum de scientiis.

NON SATISFACIT 3. Quia nomine hujus subiecti, vel intelligitur id, quod recipit illam scientiam, & hoc non videtur, unde habeat vim diversificandi, cum in scientiis respectus essentialis & specificativus, sit penes objectum; vel nomine subiecti venit, quod si res non sit operabilis, nec sub modo operabili attingatur, hoc ipso illud subiectum sit futurum speculabile, si autem res sit operabilis & modo operabili attingatur, jam illa res erit subiectum practicum: certè hæc differentia est bona, sed est potius appellanda ex objecto. *Hinc*

EXPLICATUR cum Suarez, quod practicum & speculativum sine intrinseco discernantur

tur & distinguantur, ita ut finis speculativæ, sit veritas seu esse gratia sui, finis autem practicæ, opus. In idem recidit si conformiter ad dicta supra, differentiam practici & speculativi sumas, ex ipsa natura illorum, contenta in ipsismet prædicatis definitivis. Quod ipsum sic proponitur. Omne quod differt, differentiâ differt, cum differentia, sit ratio formalis & unica differendi, sicut convenientia, est ratio unica, & formalis, conveniendi, & si aliquid differret non differentiâ, illud faciens differre, & non esset differentia, per te enim differentia non facit differre, & esset differentia, quia faceret differre. Hæ tamen differentiæ aliquæ sunt ultimæ, aliquæ non ultimæ, nam differentia hominis est etiam sensitivum, licet non sit differentia ultima, sed determinabilis ulterius & ultimò à rationali. Hinc ut aliquid dicatur simpliciter differre, accipienda erit ultima differentia, quæ ipsa ultima differentia, tanquam à posteriori colligitur, si ponatur in definitione alicujus, quæ enim est recta definitio, constat ex genere proximo & differentia ultima. Porro cum in definitione scientiæ speculativæ, ponatur, quòd sistat in speculatione sui objecti: Item, cum in definitione practici ponatur, quod procedat ulterius ad opus, bene per procedere ad opus practicum, & persistere in veritate, differret speculativum. Quod si differentiis in definitione positis differunt, seipsis differunt, nam definitio objectivè accepta, hoc est prædicata definitiva & definitum, hoc est natura, sunt idem. Bonitas hujus explicationis pender ab ipsa definitione datæ definitionis.

DICES. Si differentia practici & speculativi deferretur ex ipsa natura, sequeretur non posse eundem actum esse practicum & speculativum, quomodo enim tam diversa eidem Entitati convenirent.

RESPONDETUR. Sicut una Entitas potest habere diversas habitudines, ita & idem actus, poterit similiter habere diversas habitudines, cumque ratio speculativi sit habitudo ad objectum, sistendo in sola illius veritate, & ratio practici sit habitudo ad opus qua operabile, idè ratio practici & speculativi, poterunt in eandem entitatem coire, quæ entitas erit idem realiter, sed cum ista habitudine diversa.

QUÆRES 5. An Practicum debeat definiri per opus quod respicit; An per id, quòd non sistat in speculatione sui objecti. Definiri debet priori modo. Ratio, quia cum esse practicum, sit quid positivum, per prædicata positiva definiri debet, non autem per prædicata negativa. Hinc jam praxis definitivè erit objectum notitiæ practicæ, ab ipsa natum dirigi aut operari, juxta dictamen rectæ rationis. Scientia autem practica, erit notitia certa & evidens nata respicere opus, qua operabile. E contra speculativa sci-

entia, est notitia certa & evidens, sistens in sola speculatione sui objecti, vel procedens gratia sui.

Punctum Difficultatis 5.

An detur aliqua Scientia Practica.

DICENDUM est: *Dari aliquam Scientiam practicam.* Est contra Joan. Sanchez. & contra P. Adrianum Pikarski, Regium Ecclesiastem, Virum in omni literatura incomparabilem.

PROBATUR 1. Auctoritate Aristotelis 6. Metaph. tex. 2. *Speculativa, inquit, aliis scientiis preferenda sunt, hæc verò* (intellige Metaphysica) *speculativa.* Ergo datur aliqua scientia practica, scilicet cui practicæ speculativa præponenda. Et ibidem textu 1. probat, Physicam esse scientiam nec activam nec factivam. Ergo supponit aliquam esse activam scientiam, præcipue cum ulterius dicat intellectum esse activorum. Idem 2. Metaph. tex. 3. *Rectè autem se habet, inquit, Philosophiam veritatis scientiam contemplatricem appellasse.* *Speculativa enim finis Veritas, Practica autem* (subaudi commune substantivum scilicet scientiæ) *opus, etenim si* (intellige practici) *quomodo se habeant considerent, non causam per se* (id est, non sistant in sola speculatione) *sed ad aliud* (hoc est propter opus considerant) *& eo in tempore practici speculantur;* (intellige noscunt scientificè, noscere enim scientificè, est cognoscere rem per causam, speculari autem apud illum hic, est noscere per causam, unde & addit) *non scimus enim verum absque causa.* Quæ auctoritas hoc habet argumentum. Cognoscere verum per Causam, est scire. Sed practici cognoscunt verum per Causam. Ergo Practici sciunt. Idem habet 7. Metaph. tex. 23. & ibidem indicat tex. 1. & 2. Tercio item de Anima tex. 49. 6. Ethicorum cap. 6. cum negasset primorum principiorum dari scientiam, negat etiam: prudentiam esse primorum principiorum, idè autem negat primorum principiorum esse scientiam, eo quod scientia sit demonstrativa, principia autem non demonstrantur. Supponit ergo, quòd etiam Prudentia, quæ est quid practicum, possit habere suas demonstrationes.

Quod si alicubi videatur negare practicos habitus, esse scientias, intelligendus est quòd negaverit illas esse perfectissimas seu universalissimas scientias, non est enim dubium speculativas scientias universalius de suo objecto procedere.

PROBATUR 2. ex S. Th. quem vide 1. parte q. 1. art. 1. & ibidem art. 50. & prima parte q. 10. art. 160. Supponit hoc Thomistica Schola, quæ Theo-

Theologiam ita appellat speculativam scientiam, ut dicat etiam esse practicam saltem eminenter. Supponunt & nostri, quia per nos scientia simplicis intelligentiæ est scientia practica. Sed datur scientia simplicis intelligentiæ. Ergo datur aliqua scientia practica, & si id quod est, eminenter scientia, potest esse practicum, cur & non aliqua alia formalis scientia, erit practica.

PROBATUR 3. Argumento negativo, quia nulla est implicantia, quominus possit dari scientia practica. Ergo possibilis est, & quæcunque dabitur nota scientiæ practiciæ, ea jam reperietur in aliquibus, qui de facto dantur habitibus.

CONFIRMATUR. Si daretur habitus non sistens in sola demonstrationum speculatione, sed ulterius ordinaret illas ad praxim ille habitus esset scientia practica, hoc enim nomine scientiæ practiciæ hic intelligitur. Sed datur habitus aliquis non sistens in sola speculatione suarum demonstrationum, sed ulterius ordinans illas ad praxim quod probatur. Formetur hæc demonstratio. Honeſta actio est usurpanda refrænatio passionum irrationabilium est honesta actio. Ergo refrænatio passionum irrationabilium est usurpanda. Ethica v.g. formata hac demonstratione, non sistit in sola speculatione illius, sed illam ordinat ad praxim. Ergo datur habitus non sistens in sola speculatione suarum demonstrationum. Antecedens probatur. Habitus qui procedit vel per modum imperii formalis scilicet iubendo ut fiat illud quod est illatum in conclusione vel procedens per modum imperii virtualis, æquivalenter id dicendo; si deberes refrænare passiones, faceres actionem honestam taliter inquam procedens habitus, non sistit in sola speculatione objecti, nam etiam artes mechanicæ, ratione talis imperii formalis vel virtualis, exercent rationem practici. Sed Ethica procedit per modum imperii formalis vel virtualis ex dicta demonstratione. Ergo non sistit in sola speculatione. Minor probatur. Si ex dicta demonstratione non procederet Ethica ad imperium formale vel virtuale, non consequeretur finem suum, quod est rectificare operationes, quomodo enim eas rectificaret sine directione, sine imperio formali vel virtuali &c.

OBJICITUR 1. Omnis demonstratio qua demonstratio ordinatur solum & præcisè ad seite. Ergo nulla est practica demonstratio. Antecedens probatur. Præmissæ demonstrationis nihil aliud intendunt, quam assensum præbendum conclusioni imperturbabiliter. Ergo omnis demonstratio ordinatur ad scire tantum.

RESPONDETUR. Id verum esse de præmissis demonstrationis speculativæ, non de præmissis demonstrationis practiciæ, quas nihil ve-

tat dari. Deinde fieri potest ut præmissæ sint speculativæ, quæ possunt esse conclusiones Metaphysicæ, ad quam spectat probare principia reliquarum scientiarum, & tamen adhuc poterit esse conclusio practica.

OBJICITUR 2. Per demonstrationem, quæ dicitur practica, vel possunt investigari prædicata intrinseca rei, vel non possunt, si possunt. Ergo per accidens est illam esse practicam; si non possunt per illam investigari prædicata intrinseca, quomodo erit demonstratio.

RESPONDETUR. Per demonstrationem practicam, investigari etiam prædicata intrinseca rei, sed ita, ut illa investigatio per se ordinetur ad opus: si autem per se ordinabitur ad opus, hoc ipso non per accidens erit practica.

OBJICITUR 3. Prius est verum, quam sit operabile, illud enim est passio intrinseca; operabilitas autem est quid extrinsecum. Ergo & quælibet cognitio rei, ut res est, primariò tendit ad speculationem, quam ad praxim. Ergo similiter omnis demonstratio.

RESPONDETUR. Concesso, quod per ordinem ad nostros conceptus prior sit veritas quam operabilitas, non sequetur, quod per accidens sit alicui habitui circa operabile versari, quia potest per se ordinari notitia veri ad operabile. Et sicut datur prioritas inter passiones & prædicata, neque tamen ex eo sequitur illas passiones & prædicata per accidens convenire, ita nec per accidens erit alicui habitui, esse practicum, licet ex modo concipiendi, ab operabili præsupponatur verum.

OBJICITUR 4. Nulla demonstratio ex natura sua est ista directiva, ut nisi esset directiva alicujus operis, eo ipso non esset demonstratio. Ergo nulla scientia per se primo & formaliter est practica. Si enim non habet formaliter practicas demonstrationes, quo ex principio erit formaliter practica scientia? Antecedens probatur. Demonstratio, quæ haberi potest per principia ædificandæ domus, non exigitur à domo faciendâ ut domus ab eadem demonstratione dirigatur, aliàs omnis ædificator, deberet esse Logicus.

RESPONDETUR. Demonstratio secundum suam naturam dupliciter spectari potest: vel secundum quod abstrahit ab hac vel illa specie, ab esse v.g. practici & speculativi, & sic accepta demonstratio, quamvis non sit practica, potest esse demonstratio speculativa. Deinde potest demonstratio accipi secundum naturam, sed contractè ad certum genus scientiæ dispectam, & tunc si Demonstratio contracta ad esse practici, non esset Demonstratio intendens opus, hoc ipso non esset Demonstratio practica, non enim per illam finem suum intrinsecum hoc est operari scientia illa consequeretur. Addo quamvis domus non exigit, ut à
Demon-

Demonstratione dirigatur, potest tamen ipsa demonstratio exigere, ut mediante imperio formali vel virtuali, dirigat opus, nulla enim in hoc repugnantia. Domus autem quæ est indifferens ut arte vel scientia ædificetur, non exigit à scientia dirigi, nisi fortè domus scientificè ædificabilis

OBJICITUR V. De ratione scientiæ est ex 6. Ethic. cap. 3. ut sit de iis quæ sunt talia secundum naturam non ex nobis, seu quæ non in nobis, sed in sua natura principium habent. Scientiæ autem practicæ habent talia objecta, quæ habent in nobis principium, hoc est, à nobis fieri possunt.

RESPONDETUR. Loqui Aristotelem de scientia perfectissima & abstractissimè speculari. Deinde etiam in objecto scientificè operabili, quod sic non nisi rectè fiat, habetur id ex natura ipsius operabilis, de quo, ubi: an Logica sit scientia. Denique qui tenent Logicam esse speculativam quamvis sit circa Syllogismum, qui habet principium in nobis, non possunt contra nos, hac auctoritate uti.

INSTABIS. Scientia abstrahit ab existentia objecti, quod non potest convenire practico.

RESPONDETUR. Etiam practica suo modo abstrahit ab existentia objecti, sufficit enim quod sit causativa, ut existat objectum.

Cæterum in scientia practica cum Suarez disp. 8. sec. 5. partiendæ sunt duæ formalitates: Formalitas Notitiæ & Formalitas Causæ: Formalitas Notitiæ importat representationem intentionalem objecti. Formalitas Causæ dicit vim producendi efficiendo Ideam, exhibendo rem &c.

DIFFICULTAS III.

De Divisione Scientiæ in subalternantem & subalternatam.

SCIENTIA SUBALTERNANS est Scientia quæ alteram sub se ponit.

SUBALTERNATA autem dicitur quæ est sub altera posita. Et hæc explicatio est quoad quid Nominis.

SCIENTIA SUBALTERNANS ET SUBALTERNATA. Tripliciter considerari potest.

I. Potest una scientia esse subalternata alteri quoad finem extrinsecum, & sic potest Logica & Metaphysica subordinari Medicinæ, ut scilicet Medicus, benè de rebus Medicinæ discursat. **II.** Potest una scientia esse subalternata alteri, ratione principiorum quia videlicet uas, suas conclusiones probat, rationibus ab altera desumptis, ut dum probat, Chyrurgica, circulare vulnus difficile curari, ex illo Geometrico principio; quia latera circuli, difficile coeunt, & hæc subalternatio, dicitur ratione principiorum. **III.** Potest una scientia esse subordinata alteri, quia utraque habet idem objectum formale, nisi quod subalternata conditionem aliquam accidentalem

superaddat, & sic Physicæ subalternata dicitur esse Medicina, quia utraque corpus considerat, quæ corpus, superaddita conditione accidentali sanabilitatis.

DICENDUM EST. Ad subalternationem rigorosam requiritur, ut subalternata habeat idem objectum formale cum subalternante, & nonnisi conditionem accidentalem addat.

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis 1. Posteriorum tex. 23. & 30.

PROBATUR II. Inductione in omnibus manifestè Subalternatis v.g. Perspectiva & Geometria, Perspectiva enim addit conditionem accidentalem, quia scilicet considerat lineam visuale. Musica numeris superaddit conditionem accidentalem, hoc est sonum, & habet idem formale cum Arithmetica, quæ etiam numerum considerat.

PROBATUR III. Ex una parte si subalternata non haberet idem formale cum subalternante, non esset unde subalternatio desumeretur, non enim ex eodem materiali, cum multæ scientiæ idem materiale habeant, nec sint sibi subalternæ. Ergo ex eodem formali: Ex altera parte, debent habere aliquod sui distinctivum, quod quia non est in formali & essentialibus, aliàs simpliciter essent disparatæ scientiæ. Ergo debet id haberi ratione accidentalis superadditæ conditionis.

OBJICITUR I. Ex vi allatorum sequi, quod subalternans & subalternata scientia non sint specie distinctæ. Hoc autem dici non potest, quia alias habitus adæquatè practicus qualis est Medicina, & adæquatè speculativus qualis est Physica differrent specie.

RESPONDETUR. Scientiam subalternatam & subalternantem non distingui quidem specie substantiali, petibili ex vi objecti substantialiter ejusdem, seu ejusdem in specie objecti Attributionis, distingui tamen ratione practici & speculativi, quæ rationes non sunt petibiles ab objecto Attributionis, sed ex existentia in sola veritate illius vel non. Nec oberit quod aliqua sint in eadem specie sub certo respectu, & sub alio respectu sint distincta specie, nam forma ossis & forma carnis ex probabili scientia distinguuntur specie, in ratione partialium formarum, & tamen habent communem speciem, quæ est constituere corpus humanum, quod vel maximè procedit de specificatione oriunda ex diversis habitudinibus, quæ indubiè plures esse possunt, qualis est habitudo fundativa speculationis & fundativa praxeos.

OBJICITUR II. Si scientiæ subalternatæ objectum à subalternante sola tantum aliqua accidentali conditione differreret, sequeretur scientiam de colore, & scientiam de colore albo, de colore nigro, esse scientias subalternatas, sed hoc falsum est, quia eadem Physica & de colore ut sic, & de colore albo, scire potest.

† Cc

Re.

QVÆSTIO III.

De objecto & ejus Divisionibus.

Sola hic adferetur fermè Explicatio Terminorum.

DIFFICULTAS I.

Explicatur quid sit Objectum.

RESPONDETUR. Cum commune non aliud sit, quàm ipsamet particularia, in re loquendo, quæ scientia considerat commune hoc ipso nata est se extendere etiam ad particulare, quod ex illo communi participat. Sicut visiva, quia attingit coloratum, attingit & hoc coloratum, quod est album, consequenter quæ scientia considerat colorem, eadem etiam considerat talem alternantis & subalternatæ, non comparantur inter se, sicut commune & particulare, sed sicut non involvens accidentales rationes, ad involvens, rationes accidentales, idè objectum subalternantis dat locum objecto subalternatæ, quod involvit rationes aliquas accidentales, ad quas, non se extendit subalternans.

OBJICITUR III. Ex dictis sequi quod habitus Fidei & habitus Theologiæ non sint specie distincti.

RESPONDETUR. Negando Sequelam, nam objecto fidei non additur aliqua accidentalis conditio, ad quam attendat Theologia, sed aliud quod essentialiter specificativum, nempe scientificam notificationem veri, ad quam scientificam notificationem veri attendit Theologia.

OBJICITUR IV. Posito quod subalternata addat rationem aliquam accidentalem, formali subalternantis, inexplicabile erit, quod sit istud accidentale, si enim sufficit quod accidens consideretur, sequitur quod Mathematica sit subalternata Physicæ, nam considerat quantitatem quæ est accidens; si autem aliter sumatur illa ratio accidentis, hoc ipso reddet illam scientiam considerantem objectum simpliciter distinctum specie, non enim minus specie differt album à nigro, quàm homo & brutum.

RESPONDETUR. Illud accidens non debere desumi à ratione entis, nec etiam debet concipi, quasi ingrediens rationem formalem objecti, sic enim faceret verè differre specie, sed debere concipi per modum conditionis tantum. Conditiones autem sub formalitate conditionum non specificant. Et quamvis de illo accidenti dentur demonstrationes aliquæ, datur tamen de illo non ut de objecto formali, sed ut de conditione.

OBJICITUR V. Cum & subalternatæ & subalternantis sint eadem principia non erit ratio, cur dicatur accipere principia subalternata à subalternante esseque illi subalternata, quàm è converso.

RESPONDETUR. Idè potius dicitur accipere subalternata principia à subalternante, quia potius universalia dicuntur sub se habere singularia, non dicuntur autem singularia, habere sub se universalia, quia verò subalternans scientia, est scientia universalior, plura enim scit Physica quam Medicina, idè à subalternantibus potius dicuntur accipi principia quam è converso à subalternatis.

Objectum interdum significat idem quod Oppositum. Unde dicere communiter solemus, Objectum est hoc contra Conclusionem, sensusque est, opposita est Conclusioni hæc Difficultas. Pressius tamen objecti nomine venit, illud, quod alicui potentia, vel principio, habitui, vel actui, respondet tanquam Scopus & Terminus, habetque rationem ut ita dicam, sistendi actum vel potentiam, ut ultra se non exeat, sed circa se occupetur. *Ut sic autem objectum definiri posset: quod sit ratio ejus circa quod.* De quo in Materia de fide sub initium.

NOTO HIC I. Ex Arriaga *rigorosè loquendo subjectum & objectum aliud significat.* Subjectum enim est id, de quo cognoscitur. Objectum verò est illud, quod de illo cognoscitur, dicique solet alias Prædicatum; quia tamen debet subjecto inesse, illud quod prædicatur affirmativè, idè ratione istius connexionis, confundi solet nomen subjecti & objecti.

NOTO II. *Quæ sit ratio quod idem sit objectum actuum & potentia.* Quia scilicet potentia non aliter versatur circa objectum nisi actibus. Ergo idem debet esse objectum actuum & potentia. E converso idem etiam debet esse objectum actuum scientificorum, quia si aliud esset objectum actuum & habitus, non haberet jam, quo circa objectum versaretur potentia.

NOTO III. *Nullum in specie objectum determinatè acceptum esse æquale potentia intellectiva.* Æquale enim illud est, cujus Termini nec excedunt terminos aliis, nec ab aliis terminis exceduntur, nullum autem in specie objectum tam diductos habet terminos, atque est potentia intellectiva. Termini enim intellectus sunt quodcunque cognoscibile: unaquæque autem species determinatè accepta, non est quodcunque cognoscibile. Consequenter nec est quid æquale & commensurabile potentia intellectiva ad eum modum quo viridis v. g. color non est objectum adæquatum visiva.

DIFFICULTAS II.

Explicantur aliquæ Divisiones Objecti.

Dividitur objectum in Complexum & Incomplexum. Incomplexum Objectum est illud, de

de quo aliquid scitur poniturque pro subiecto conclusionis scientificæ, deque tali objecto inquiritur præcipue in scientiis, quando de objecto inquiritur. Vocatur autem hoc objectum incomplexum, quia non intelligitur esse conjunctum, per unionem seu copulationem cum prædicato. Complexum autem objectum, est totum complexens in se & adunans prædicatum cum subiecto.

Dividitur tam Incomplexum quam Complexum Objectum. In Materiale & Formale. Materiale objectum est objectum considerabile à pluribus scientiis. Formale autem est ratio circumferens illam rationem materialem, ad certam scibilitatis speciem.

EXPLICATUR. *Ratio Materialis & formalis obiecti.* Nomina etiam in Philosophia alia sunt Derivativa, alia Primitiva. Primitiva nomina in Philosophia usurpabilia, conveniunt primò rebus, ad quas significandas sunt imposita; vocarique possunt hæc Nomina Grammaticæ acceptionis, & sic in Philosophia æquè ac Grammatica, nomen Homo non bovem, sed animal rationale significat totaque hujus nominis impositi ratio, est placitum imponentium. Cæterum nomina Derivativa Philosophica, usurpantur ex proportionem ad res, ad quas significandas sunt imposita. Et ita v. g. Ly Conclusio, est nomen derivatum ex proportionem ejus, quod significatur Grammaticè per Ly Conclusio, sicut enim Conclusio Grammaticè sumpta includit aliquid, ita Conclusio scientifica includit & complectitur assensum scientificum ex præmissis, & sicut Conclusio terminat res, ita ultima illa propositio, terminat discursum. Nomen etiam v. g. Subiecti est nomen derivatum ex proportionem ad res, ad quas significandas primitus est impositum nomen subiecti, sicut enim subiectum est illud, quod alteri subijcitur, ita Subiectum vocatur ille terminus, cui superponitur Prædicatum. Dico ergo nomen hoc obiecti materialis & formalis esse etiam nomen Derivatum ex proportionem ad eam rem, quæ vocatur Materia, & ex proportionem ad eam rem, quæ primitus vocatur Forma.

Porro proportio inter Objectum Materiale & Materiam est talis, quia sicut Materia nunc his nunc illis subijcitur formis v. g. nunc est sub una forma ligni, postea sub forma ignis, postea sub forma cineris, &c. ita Objectum Materiale nunc hujus nunc illius potest esse scientiæ Objectum, & sicut Materia (excepta forma rationali) dicitur in se præcontinere formas materiales, ita objectum materiale, præcontinet in se varias scibilitates, quas educunt scientes, quasi formas è potentia Materiæ, & suis actibus, circa illam scibilitatem versantur. Jam verò propositio quæ est inter formam & formale potest esse talis, quia sicut determinat forma Materiam, ita determinat Formale Objectum rationem materialem. Sicut forma suæ Materiæ, ut ita dicam

superimponitur, ita & Formale Objectum substratam sub se habet rationem Obiecti materialis, & denique sicut forma facit materiam pulchram, ita & Objectum Formale facit & tribuit scibilitatem objecto, talem vel talem.

Explicat paulò aliter Arriaga rationem Obiecti Materialis & Formalis, & dicit Objectum materiale, est illud in cuius amorem vel cognitionem ducimur ab objecto formali, sic v. g. præmissæ, quæ sunt objectum formale, ducunt nos in amorem seu illationem conclusionis. Est quidem hæc explicatio bona, sed quia rem Metaphoricam, quale est Objectum materiale & formale per alias Metaphoras, hoc est per amorem & tractionem explicat, ideò illa non utor.

NOTO HIC I. *De objecto materiali, quod aliud sit Proximum & Immediatum*, illud scilicet, quod immediatè attingitur actibus scientiæ. Et aliud *Mediatum* seu *Remotum*, quod cum non attingatur immediatè, quia tamen est connexum cum eo, quod immediatè attingitur, ideò dicitur mediatè attingi & ita in Logica Operationes intellectus res attingentes, sunt objectum immediatum, res verò ipsæ sunt quid mediatum.

NOTO II. *Materiale complexum Objectum est ipsa Conclusio quæ cognoscitur, & cui assentimur.* Formale verò Objectum complexum, est medium seu Ratio propter quam assentimur.

NOTO III. *In Objecto formali tres communiter rationes statui*, unam quæ vocatur Ratio formalis *Quæ*, aliam quæ vocatur Ratio formalis *Propter Quam*, & tertiam quæ vocatur Ratio formalis *Sub Qua*. *Nomine rationis formalis Quæ, venit illa ratio quæ aliquod Materiale ad certam scibilitatem determinat.* Sic v. g. Entitas, Naturalitas, Sanitas &c. sunt rationes formales *Quæ*, determinativæ Obiecti materialis quod est Corpus, & sic Corpus sub ratione Entis, est considerationis Metaphysicæ, sub ratione naturalis, est considerationis Physicæ, sub ratione sanabilis est considerationis Medicinæ. S. Thomas hanc rationem *Quæ*, respectu aliarum dicit esse quasi materialem 2. 2. q. 1. articulo 1. *Ratio formalis Propter Quam dicitur Medium seu Motivum assensus, & hoc motivum secundum diversitatem assensus diversum est, hinc fieri potest, ut uni eisdemque propositioni ex diversis motivis quis assentiat, v. g. huic propositioni: Deus est, possum assentiri ex eo quia id dicit Deus, & erit assensus fidei, possum assentiri eidem propositioni, & ex eo, quia hoc est demonstrabile, & erit assensus scientificus, possum assentiri ex eo, quia id mihi dixit puero adhuc, vir probus Patrens meus, & erit assensus fidei humanæ.*

Ratio Formalis sub Qua variè à variis explicatur. Thomistæ eam explicant, quod sit diversa obiecti scibilis abstractio, de quo egi superius, potestque hæc explicatio admitti, modo, non tanquam specificativa scientiarum. Rursus ratio

formalis sub Qua describi potest, quod sit conditio sine qua non, sub qua scilicet à potentia objectum est cognoscibile, & sub qua notitia cognoscit objectum tali vel tali modo. Illustrari hoc potest Instantia desumpta ab igne. Sicut e. g. approximatio ignis non est ratio formalis ignitionis, hæc enim procedit ab ipsa ratione formalis ignis, hoc est vi igniendi, tanquam à ratione Quæ. Non est item approximatio, ratio formalis Propter Quam, quia ratio formalis Propter Quam ignitionis est actio igniendi, cum tamen approximatio non sit actio, sed est tantum ratio formalis sub qua & conditio sine qua non agendi.

In Logica Ratio formalis Quæ, erit rectitudo Operationum. Ratio propter Quam, erunt principia, ratio sub Qua, erit ut communiter dicitur abstractio ab omni materia, non tamen à ratione operabilis. Signanter dico quod non abstractat à ratione operabilis, & non dico quod non abstractat à materia operabili, cum nullam materiam operabilem Logica habeat, sed Entitates spirituales, hoc est operationes intellectus. Aliquis dicit rationem formalem sub qua Logica esse abstractionem ab omni materia & omni Ente reali prout contradistinguitur intentionali, considerat enim Intentiones Logica, seu actus intellectus nostri.

Dividitur item Objectum in Adequatum & Inadequatum. Nomine adequati objecti venit illud objectum, quod includit in se totalitatem omnium scibilium, & est æquè primò de omnibus in illa scientia contentis prædicabile. Et tale objectum potest esse in Logica Ens denominabile Logice, nam & tres Operationes sunt Entia denominabilia Logice, & æquipollentia aut conversio &c. sunt Ens denominabile Logice. Hinc per tale suum prædicari distinguitur inter alia objectum adequatum ab objecto attributionis. Nam corpus naturale v. g. in Physica supposito, quod sit objectum attributionis, nunquam prædicatur de passionibus, proprietatibus, & aliis scibilibus in Physica. Hoc objectum solet etiam appellari objectum adequatum simpliciter. Item objectum Considerationis.

Cæterum si detur habitus, in quo singula considerabilia possunt transire in speciem per se objecti, in tali habitu objectum adequatum seu considerationis non erit distinctum ab objecto Attributionis. Objectum autem inadequatum est objectum parziale non adæquans latitudinem scientiæ.

Hanc Divisionem ultimam advertit Arriaga non esse rigorosam, quia una pars divisionis nempe objectum inadequatum continetur in altera parte divisionis, hoc est in objecto adæquato.

Inadequati Objecti species est objectum primum seu Principale, nomine cuius prout illud contradistinguitur ab objecto Attributionis, venit no-

bilissima species Entis, considerabilis in illa scientia, quale objectum in Physica est homo, in Metaphysica DEUS.

DIFFICULTAS III.

Explicatur Ratio Objecti, Attributionis & Attributi.

Objectum Attributionis est illud, ad quod omnia, quæ tractantur in aliqua scientia referuntur. Objectum autem Attributum est illud quod refertur ad Objectum aliud. Porro ea quæ referuntur ad objectum Attributionis. I. Sunt Principia eaque duplicia aut complexa, hoc est propositiones lumine naturæ notæ, aut incomplexa, hoc est causæ constitutivæ objecti, siue illæ constituent Physicæ, ut corpus constituitur ex materia & forma, siue constituent Metaphysicæ, quo modo animal & rationale constituunt hominem, II. Revocantur species, suntque id, de quibus solis objectum Attributionis dicitur in recto. III. Revocantur proprietates. IV. Effectus. V. Opposita objecto, nam oppositorum eadem est scientia. Hoc objectum appellatur ab Ocham objectum continentia, quia scibilia in se continent. A S. Bonavent. appellatur objectum integrale, quia omnes scientiæ partes integrè complectitur. A D. Thoma appellatur objectum commune. Ab aliis universale.

EXPLICATUR I. Tali discursu Natura Objecti Attributionis, quam fundo in Aristotele I. Eth. c. I. Omnis, inquit, ars & doctrina bonum quoddam appetit, si scientia appetit bonum, certè habitus scientificus, erit quoddam appetitivum, approprians sibi certa objecta, ad quæ habeat innatum appetitum ad eum modum, quo v. g. levitas est appetitus innatus loci sursum. Quod si habitus quicunque est quoddam appetitivum, necessariò respondere illi debet, appetibile, appetibile enim & appetitivum sunt correlativa: adeoque posito uno correlativo, poni debet & aliud. Porro hoc appetibile habitus vocatur communiter Objectum, quia verò in appetibilibus alia appetuntur per se, alia appetuntur propter aliud, & ita per se appetitur sanitas, propter illam verò pharmacum, eodem modo in habitibus scientificis, quædam appetuntur & considerantur propter se, quædam appetuntur & considerantur propter aliud. Dico ergò illud quod consideratur propter se, ita, ut reliqua ad considerationem illius ordinentur, illud inquam taliter appetibile, est, & vocatur objectum Attributionis, reliqua verò quæ non appetuntur propter se considerari, sed referuntur ad illud, primò & per se appetibile, vocantur & sunt objecta Attributa.

EXPLICATUR II. Tali discursu ratio objecti attributionis. Sunt aliquæ perfectiones divinæ secundariæ, quæ meliores sunt ipsæ, quam earum oppositæ. Sic v. g. melius est esse im-

med,

mentum DEO quàm esse loco adstrictum, melius est esse omniscium, quàm aliquiscium, talesque perfectiones vocantur simpliciter simplices. Hæ perfectiones simpliciter simplices quantumvis intelligantur ex modo concipiendi advenire naturæ divinæ in suo esse constitutæ, correspondereque passionibus & proprietatibus, ex natura creata profluentibus, nihilominus non appellantur passiones Dei, quia passio notat imperfectiorem, dependentiam &c. Quæ nomina non usurpat fides circa Divina, fortiuntur tamen hæ perfectiones, ex modo nostro concipiendi, advenientes essentia divinæ in suo esse constitutæ, fortiuntur inquam nomen Attributi, eo quod exigantur ab essentia divina eique attribuantur. Essentia verò, est ipsum illud, cui hæc attributa attribuuntur. Sic & in præsentī materia, est objectum quoddam, quod est quasi essentia scientiæ, natura illius, specificativum illius, estque hoc tale objectum, objectum attributionis, scibilitasque illius exigit & deponit tanquam aliquid sibi debitum, tanquam conveniens attributum, cognitionem reliquorum objectorum, quæ vocantur secundaria, partialia, attributa.

EXPLICATUR III. Natura Objecti Attributionis per proportionem, & Analogiam, quam habet objectum Attributionis, cum Analogia attributionis. Porro sicut in Analogia attributionis est aliquod principale, ad quod aliqua referantur, & alia sunt minus principalia seu relativa. Sic v. g. sanitas est Analogum attributionis, ad quam attribuitur pharmacum tanquam causa, pulsus arteriarum tanquam index, econtra verò ad pulsus arteriarum non refertur sanitas animalis, nec attribuitur, ad pharmacum. Sic & in præsentī objectum attributionis est, ad quod omnia referuntur objecta minus principalia, & ipsum non refertur ad minus principalia, idque in ratione scibilis, quia fieri potest ut in ratione Entis, refertur ad aliud ita Rescitur in ratione Entis refertur ad Metaphysicam, sed non in ratione scibilis Logicæ.

NOTO I. Quæ sint conditiones objecti attributionis. I. Ut sit aliquomodo unum saltem Analogicè vel per rationem ordinis, sumitur id ex Aristotele I. posteriorum c. 21. Et ratio est, quia scientia sumit unitatem ab objecto attributionis, quomodo autem una erit, si objectum unum non erit. II. Conditio est, ut cetera in scientia considerentur per ordinem ad aliud. III. Vt per illud scientia distinguatur à reliquis scientiis, quod nescio quam consequenter docere possint, qui scientias non per Objectum attributionis specificant.

NOTO II. Objectum attributionis non debere esse primum in ratione Entis, quantumvis sit primum, in ratione scibilis. Sic communiter Deus non censetur esse objectum Metaphysicæ, quantumvis sit primum in ratione scibilis Entis. Neque dicas res eo modo scibiles sunt quo sunt, proinde si primum sunt, primum esse sci-

biles, hinc enim tantummodo sequitur, Rem, quæ primario est, scibilem esse, quod primario sit, non autem scibilem esse, quod primario scibilis sit.

NOTO III. Non recte explicari à quibusdam rationem objecti attributionis, quod objectum attributionis sit tale, quo sublato tollatur scientia. Multa enim sunt in scientiis, quibus sublatis tollitur scientia, quæ tamen non sunt objectum attributionis, sic v. g. sublata Materia tollitur Physica, & tamen Materia, non est objectum attributionis Physicæ. Certum tamen est, quod de ratione objecti attributionis sit, quod eo manente impossibile sit, non manere alia objecta partialia, quæ revocantur ad ipsum objectum attributionis, manere enim objectum Attributionis, est manere Causas, Species &c. Scientia autem nihil præter hæc complectitur.

NOTO IV. Rationem objecti Attributionis cadere immediatè supra rationem formalem, non supra rationem materiam. Ratio est, quia Attributio ratione scibilitatis, non convenit objecto materiali, sed ratio attributionis in scientia, est attributio ratione scibilitatis. Ergo attributio in scientia non convenit objecto materiali, Major probatur, quia absolute & ipsa scibilitas determinata non convenit objecto materiali, sed habet hoc à formali. Minor probatur Consensu Doctorum, & Nomenclatura nominis attributionis, quod est impositum ad significandam referibilitatem reliquorum ad unum, in scientiis.

NOTO V. Objectum attributionis supra materiale & formale non addere quidquam realiter distinctum, sed tantum connotare exigentiam, ut ad se reliqua referantur, estque hæc exigentia non realiter sed formaliter distincta, de quo actum supra.

NOTO VI. Dari de facto aliquod objectum attributionis, quod sit individuum. Quia Theologia est scientia, & tamen habet pro Objecto DEUM, qui est quid individuum, nec implicat contradictionem, quominus & alia sit possibilis scientia, circa objectum individuum attributionis.

NOTO VII. Dari aliqua objecta partialia & attributa, ad quæ alia attribuantur, sic v. g. ad mixtum attribuitur consideratio elementorum. Censerem tamen hæc non esse appellanda objecta attributionis. Ratio est, quia nomen attributionis est impositum ad significandum non quamcunque referibilitatem, unius ad aliud in esse scibilis, sed ad referibilitatem omnium in illa scientia scibilem, restringereque hoc nomen attributio per ly partialis, est idem facere ac terminum universale, restringere per terminum singulare.

DICES. Esse istos terminos implicatorios: Objectum adequatum attributionis.

RESPONDETUR. Prædictos terminos non esse implicatorios. Tum quia nulla implicantia ostendi potest, modo id teneatur quod aliud sit

† Cc 3

ob-

objectum adequatum simpliciter, illud scilicet, quod nec excedit scientiam, nec exceditur ab eadem scientia, & insuper est predicabile de omnibus in illa scientia contentis objectis, in recto; & aliud objectum adequatum attributionis, quod nihil aliud sit, nisi id, ad quod omnia referuntur, ita, ut & nihil sit quod non referatur ad illud, & ipsum illud objectum non sit majus, quam ipsa illa objecta, quæ ad illud referuntur. Tum quia rogo, quomodo appellatur mistum, in quantum est id, ad quod elementa tanquam partes & causæ referuntur; quæro estne istud mistum objectum attributionis, ad quod referuntur hæc elementa? Negari non potest, quod referantur elementa ad mistum. Ergo nec

negari potest, quod attribuantur ad mistum, si attribuantur ad mistum. Ergo Objectum attributionis est mistum. De hoc ipso misto quæro rursus, estne istud Objectum adequatum an non? dices est inadæquatum, quæro Cur? certè propterea quod non omnia ad illud referantur, quæ sciuntur in Physica. Hoc ergo, ad quod omnia referuntur, cur non potest bene appellari adequatum attributionis objectum. Ego quidem non usurpo hunc terminum: Objectum attributionis inadæquatum vel partiale, quia Phrasis id communis non fert, dico tamen debere usurpari hunc terminum, Objectum adequatum Attributionis, quia est consuetus in Scholis loquendi modus.

DISPUTATIO II.

De Natura Logicæ & ejus Objecto

PRæexplicatis Majoribus de Scientia & objecto ut sic, subsumenda erit Minor de Logica.

QVÆSTIO I.

De Genere in Definitione Logicæ ponendo.

GENUS hoc à quibusdam ponitur scientia tantum, à quibusdam scientia & ars & facultas, sit.

DIFFICULTAS I.

An Logica sit Scientia.

DICENDUM EST. *Logicam esse scientiam*, ita S. Thomas in 4. Metaph. cap. 4. Suarez, Hurtadus, Oviedo, Arriaga contra Vallium & Smiglecium qui videntur sese opponere Aristoteli 1. priorum cap. 1.

PROBATUR I. Logica habet prædicata requisita ad rationem scientiæ quæ ex 6. Eth. cap. 3. & 4. sunt necessitas objecti & demonstrationes veræ. Quod habeat objectum necessarium Logica. Probari solet. Objectum quod non est agibile simpliciter, & ejus principium non est in nobis, sed in natura, est objectum necessarium, sed objectum Logicæ est tale. Minor probatur. Objectum universale seu ratio communis abstracta à singularibus, non est agibile simpliciter, neque ejus principium est in nobis, actiones enim sunt singularium, nihilque omnino fieri potest, nisi quod potest non esse, corrumpi &c. singularia autem sola corrumpi possunt, sed objectum Logicæ est universale, seu ratio communis abstracta à singularibus. Ergo Logicæ objectum non est agibile simpliciter neque

illius principium est in nobis. Quod autem Logica habeat veras demonstrationes, probatur ipsa illarum exhibitione v. g. Syllogismus qui nititur dicto de omni est bonus; Syllogismus in Barbara nititur dicto de omni. Ergo est bonus. Item: medius terminus positus pro subiecto in Majori universali affirmativa, & positus in Minori universali affirmativa pro prædicato, exigit conclusionem affirmativam. Syllogismus in Barbara est talis. Ergo &c. Quod autem hæ demonstrationes sint Logicæ, vel exinde deducitur, quia procedunt, de subiecto Logico, attendunt ad præcepta Logica, nihilque habent quod non sit de linea Logicæ.

RESPONDEBIS I. Logicæ Objectum est inventum nostrum, si est inventum nostrum, non habet tantam necessitatem, quantam habent objecta aliarum scientiarum. Nam objecta aliarum scientiarum, non sunt inventum nostrum. Quod si non habet tantam necessitatem, quantam alia objecta. Ergo neque potest habere rationem scientiæ.

CONTRA EST. Tum quia concessio, quod non habeat tantam necessitatem objectum Logicæ, quantam objectum aliarum scientiarum, nego adhuc illud objectum, modo habeat suam necessitatem, non posse esse objectum scientiæ. Certè enim major est necessitas in objecto Theologiæ, vel in objecto Metaphysicæ, quam in objecto Physicæ, & tamen hoc non obstante, Physica est scientia. Unde etiam dicitur, certitudines Physicas non esse tantas, atque sunt Theologicæ vel Metaphysicæ, & tamen certitudines Physicæ, sunt certitudines. Ergo etiam quamvis objectum Logicæ, non sit ita necessarium, ac aliarum scientiarum, poterit esse objectum